DE
PRIVATO THEOLOGIAE STVDIO
FVTVRIS ECCLESIAE MINISTRIS
ACCOMMODATO

AVCTORITATE

SVMME REVERENDI THEOLOGORVM ORDINIS

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRO LICENTIA

SVMMOS IN THEOLOGIA HONORES

CONSEQVENDI

A. D. II. ET III. OCTOB. A. CIↃIↃCCLXXXXIX

DISPVTABIT

M. IOANNES GOTTLOB BERNHARDI

SS. THEOLOGIAE BACCAL.

ET AD AEDEM THOM. DIACONVS.

LIPSIAE

IMPRESSIT CAROLVS TAVCHNITZ.

VIRIS

MAGNIFICIS ILLVSTRIBVS

IVRIVM CONSVLTISSIMIS EXCELLENTISSIMIS

PRVDENTISSIMIS AMPLISSIMIS

CIVITATIS LIPSIENSIS

CONSVLIBVS

PROCONSVLI

AEDILIBVS

SYNDICO

PRAETORIBVS

CAETERISQVE SENATORIBVS GRAVISSIMIS

PATRONIS PIE COLENDIS

VIRI MAGNIFICI

ILLVSTRES EXCELLENTISSIMI

PRVDENTISSIMI

PATRONI MAXIMOPERE VENERANDI

Ex quo VOS, PATRES AMPLISSIMI, peregrinum me insigni VESTRO dignati estis Patrocinio, tot tamque eximia sortis meae adminicula et orna-

menta per VOS mihi contigerunt, vt quicquid ad meam deinceps accesserit fortunam, VESTRAE me benignitati potissimum debere, laetabundus sentiam. Quem quidem laetitiae meae sensum quin inscribendo NOMINIBVS VESTRIS MAGNIFICIS atque ILLVSTRIBVS hoc qualicunque libello meo palam VOBIS nunc significem, tanto minus audaciae cuiusdam metus me prohibet, quanto liquidius mihi ipse sum conscius, me non tam receptae consuetudinis ob-

servantia, quam potius grati erga VOS animi studio ad hoc officii genus impelli. Sit igitur VOBIS hic meus libellus, quem summa cum verecundia VOBIS trado, illius erga VOS pietatis meae interpres, qua per totam vitam declaranda, quantopere VOBIS ego obstrictus deuinctus sim, testatum facere cupiam. Deum Optimum Maximum precibus ardentissimis oro rogoque, vt VOS ciuitatis nostrae TVTORES ac PRAESIDES longe meritissimos, meosque PATRONOS

obseruantissime colendos, vna cum GENTIBVS VESTRIS SPLENDIDISSIMIS omni felicitatis humanae genere ornare pergat

NOMINIBVS VESTRIS

MAGNIFICIS

ILLVSTRIBVS EXCELLENTISSIMIS

AMPLISSIMIS

addictissimus

IOANNES GOTTLOB BERNHARDI.

§. I.

In egregio illo, quem nobis ERASMVS de ratione verae Theologiae reliquit, libro, prima fere pagina, satis festinare dicitur is, qui nusquam aberrat a via. Quo, quid verius et scitius, neque illis modo, quibus scribebatur, temporibus, sed nostrae, qua viuimus, quoque aetati aptius dici possit, haud scio. Vt enim vir ille praestantissimus, ita et nos, in tanta omnium fere disciplinarum, et Theologiae in primis fluctuatione viuimus, vt sane difficillimum sit, a recta non aberrare via, neque desunt exempla, quae, quo animus fluctuans, diuque huc et illuc distractus, tandem rapiatur, satis testentur. Permulti enim, qui omni, qua fieri potest, celeritate festinare videntur, tam longe a fine sibi proposito deducuntur, vt de iis profecto valeat, quod Seneca de hominibus, qui vitam ita breuem multis ac variis impertiunt rebus, affirmat: multum, inquit, iactantur, sed non multum nauigant. Quod quidem non in alicuius aut contemtum, aut contumeliam dictum esse volui, sed eo potius consilio attuli, vt inde intelligeretur, quid hac scribendi occasione data, ad tractandum argumentum titulo libelli indicatum, me potissimum impulerit. Cum enim tam multis, quae aetatis ipsius ratio affert, errandi periculis me circumseptum viderem, eaque me non, nisi certa studiorum ratione adhibita, effugere posse intelligerem; inde ab eo tempore, quo mihi e scholis acade-

micis dimisso, campus eruditionis theologicae propria industria esset perlustrandus, nihil magis curae cordique fuit, quam talis studiorum meorum methodus. Tum quidem, cum in hac nostra litterarum Vniuersitate a doctoribus praeclarissimis, quibus olim vrbs nostra splendebat, et adhuc exsplendescit, theologicae doctrinae adyta mihi aperiebantur, ab eorum ore totus pependi, nihilque mihi prius, nihil sanctius esse putaui, quam audita ita, vt acceperam, menti alte impressa tenere, a quo more nullum iuuenilis aetatis nouaturiendi feruorem abducere me passus sum, neque huius moris sancte seruati vnquam me poenituit. Hac enim ratione non solum pericula, e praematuro et intempestiuo iudicandi ardore orta, euitaui, sed, quod omnium est maximum, exquisita, qua fruebar, institutione ad animum rite formandum vti potui. Nam ab ERNESTIO, CRVSIO, atque MORO, quos in rebus dogmaticis duces habere, mihi contigit, et quorum memoriam nullum e mente mea delebit tempus, tam egregia omnis generis tradebantur placita et praecepta, tam tuta ad veram Theologiam muniebatur via, tam salubria ad cautam et sobriam eius tractationem dabantur consilia, vt me meamque sortem magnopere dolerem, si fortunam, insigni beneficio diuino mihi concessam, praematuro illo intempestiuoque disceptandi aut nouaturiendi feruore ipse mihi eripuissem. Opinione vero citius felicissima illa vitae meae pars effluxit, et mutata studiorum meorum ratio, paterna quasi manu retracta, ad vires meas qualescunque in rebus diuinis tractandis periclitandas me vocauit. Transibam igitur ad studia domestica, in quibus nihil magis in votis habebam, nihil studiosius quaerebam, quam vt animum, cura vere paterna ad

amorem veritatis coelestis incensum, in dies magis thesauris reclusis nutrirem, doctrinam meam qualemcunque locupletarem, locupletatamque in vsus meos converterem. Hoc autem negotium, ingenue fateor, etsi bono omine a me susceptum tamen ab initio saltem non eo, quo speraueram, felici processit successu, et infandum iuberer renouare dolorem, si varii casus, quos in his studiis domesticis instituendis, et re ipsa institutis, sum expertus, mihi essent enarrandi. Saepe ac diu haesitaui, multum dubitaui, et hanc aut illam tandem viam ingressus, in orbem sum circumactus, et non raro tempus et oleum perdidi. Ne vero quis hoc eo factum esse censeat, quod a praeceptoribus meis, tam bene de me meritis, aut via ad veritatem altius indagandam mihi prorsus esset praeclusa, aut saltem id, quod ad animum excitandum valeret, praetermissum, pietas hoc adiicere me iussit. Interiecto quidem tempore aliquo, fateor, multo liberalior, quam tum erat, et docendae et discendae Theologiae ratio est introducta. Neque tamen Ernestivs, quod inter omnes constat, etsi ea, quae Virum tanti ingenii et doctrinae decebat, auctoritate placita sua, de quibus sibi habebat persuasum, dictitabat, viam ad veritatem altius indagandam praecludebat, sed fontes potius, e quibus hauserat ipse, aperiebat, suaeque disciplinae alumnis in iis, quae legenda et inquirenda essent, auctor erat et suasor. Quis porro Morvm in ea non admiratus est arte, qua animum iuuenilem praeeundo ad veritatem inuestigandam non solum excitabat, sed etiam firmabat? Quid? quod et Crvsivs, etsi satis multi aliter de hoc Viro summo sentiant, in iis, quae peculiariter de Theologia disputabat, campum longe lateque patentem digito quasi monstrabat, cuius visendi

cupiditate optimus quisque incendebatur. Non deerant ergo neque incitamenta ad priuatum Theologiae studium, neque deerat copia rerum, in quibus tractandis opera collocaretur. Accidit vero mihi, quod viatori accidere solet, qui a prudentissimo quidem duce ad rectam viam ductus, tamen eius manu retracta, nouis regionibus oculo oblatis obstupescit, et impedimentis non exspectatis se expedire nescit. Dici enim vix potest, quantopere animus, aut nulla aut male adhibita methodo, detineatur, quantumque methodus bene ordinata et dextre adhibita ad cursum accelerandum valeat. Praeclare Erasmvs in libro supra laudato dicit: „saepe et multum duplicat sumtum et laborem, qui crebris erroribus ac longis ambagibus tandem eo peruenit, quo destinarat, si tamen peruenire contingat, gemino vero beneficio iuuatur, qui viam compendiariam intrat, primum vt maturius, quo tendit, pertingat, deinde vt minori labore sumtuque, quod sequitur, assequatur."

§. II.

Ex eo tempore igitur nihil mihi optatius contingere posse, sum arbitratus, quam si talem, domestico studio accommodatam, reperire possem methodum; saepeque optaui, vt vir in hac re satis versatus, tale quoddam opus conderet, quo meis et eorum, qui meae sunt conditionis, rationibus bene consuleretur. Quod vero non reperi. Quamquam enim multi, iique eruditissimi viri, cum pristinae, tum recentioris aetatis in eo elaborauerunt, vt ad veram Theologiam munirent viam, tamen vix vnus et alter nominari potest, qui, quo studio Theologiae domestico ex omni parte consuleretur, docuisse recte dicatur. Plurimi enim libri, qui hoc

nomine laudantur, aut iuuentutem studiosam docent, quanam potissimum ratione cursus academicus instituatur, [1]) aut, si nostris rebus consulunt, aetati, qua in lucem prodierunt, et studiorum rationi tum vsitatae, sunt accommodati, [2]) aut certis modo per-

---

1) Horum librorum magnus est numerus, plurimi vero eorum e pristinis temporibus obliuioni sunt dati, neque est, quod eos in memoriam reuocemus, cum studiorum ratione omni ex parte mutata, nostrae aetati parum afferre possint adiumenti et commodi. Inter recentiores vero, omnibus, qui ad studia theologica se parant, nomina Nösselti et Planqvii nota esse, spero, quorum Hic librum huius tituli scripsit: *Einleitung in die theologischen Wissenschaften*, *von D. Planck*, *II. Tom.* 8. *Leipzig* 1794. in quo hoc sibi habet propositum, vt iuuentutem studiosam non solum ad studia recte formanda instruat, sed eorum mentibus nouum eruditae Theologiae tractandae ardorem instillet, multaque omnino habet, quae inprimis ad liberaliorem studiorum rationem excitent, et forment, totusque nostris temporibus est accommodatus. Ille autem edidit: *Anweisung zur Bildung angehender Theologen*, *von D. Nösselt*, *III. Tom.* 8. *Halle* 1786. qui eodem fere consilio et fine, insignique eruditione omnem disciplinarum theologicarum ambitum perlustrauit, et satis clare demonstrauit, qua potissimum ratione animus ad eas rite tractandas praeparetur, et in quo caput rei sit positum.

2) Dolendum est, nonnullis pristinae aetatis libris, a Viris praeclaris editis, hanc antiquioris studiorum rationis formam ita inhaerere, vt aut negligantur, aut re vera nostris non conueniant rebus. E quibus vnum, Andreae Gerhardi Hyperii librum, de Theologo, seu de ratione studii Theologici scriptum, afferam. Si quis est, qui nostris rebus consulere possit, hunc virum egregium eo nomine laudandum putauerim. Non solum enim adolescentibus, vt ipse in praefatione fatetur, qui animum ad hoc studiorum genus applicuerunt, aditum patefacere, sed ostendere vult, quo pacto in rerum diuinarum paranda augendaque scientia progredi deinceps queant, et profecto omnia fere colligit, quae ad studia theologica recte adeunda et persequenda valeant. Mihi quidem ante decem fere annos demum hunc librum inspicere contigit; magnopere vero optarem, eum ab

sonis subueniunt, [3]) aut monita egregia quidem, sed singula et

---

initio studiorum meorum ad manus mihi fuisse: multis enim ab erroribus me tutiorem praestitisset, et cum in legendis scripturis sacris, tum in audiendis praelectionibus academicis, quam plurimum mihi attulisset commodi. Tam multas enim easque valde exquisitas et ad vsum accommodatas per omnes disciplinas habet obseruationes, aut leges, vt, qui eum superauerit, putem esse neminem. Miror, quid sit, quod nostra inprimis aetate, qua libri omnis generis, iique non raro leuissimi ponderis, et nullius fere pretii edantur, legantur, in vernaculam linguam vertantur, et in aliam formam redigantur, huic libro admodum vtili non eadem contigerit fortuna, quam tamen alius eiusdem auctoris liber de formandis concionibus sacris, seu de interpretatione S. S. populari, est expertus. Magnae profecto gratiae viro in his rebus versato essent habendae, qui hoc in se susciperet negotium, vt hunc librum, non quidem, vti prodiit, sed aetati, qua viuimus, et studiorum, quae tractamus, rationi aptatum nobis redderet.

3) Huc refero MABILLONII librum, de studiis monasticis, in latinum sermonem translatum, Venet. cIↃIↃCCV. 4. (Traité des études monastiques par JEAN MABILLON, 12. 1692.) Qui quidem liber plerumque ad studia regenda commendatur. Opus certo est omnis generis doctrinae theologicae opibus repletum, atque, si quis in primis elenchum potiorum difficultatum in rebus theologicis et ecclesiasticis occurrentium iuxta seculorum seriem (ad duodecimum vsque) et bibliothecam ecclesiasticam ad calcem operis inspexerit, multa lectu ac notatu digna reperiet. Caeterum nostris rationibus parum conuenit. Cum enim prima huius libri pars non nisi in ea versetur quaestione: an monachis litterarum studia conueniant, et tertia de fine, quem in studiis sibi habeant propositum, agat, media nobis relinquitur, in qua de Scripturae Sacrae studio, de theologia positiua, de historia sacra, et reliquis eruditionis partibus multa, fateor, non vulgari disputantur ratione; at vero et in hac ipsa parte quantopere omnia sapiunt monachum! quot verbis iterum iterumque se excusat, quotiescunque virum nostrae professioni addictum laudat aut commendat! Quo fit, vt multa, eaque egregia nostrorum opera, ne verbulo quidem notentur.

sparsa habent, 4) aut vnam studii nostri partem tantum cu-

4) Hoc valet de egregio illo Erasmi libro, qui, ratio seu methodus verae Theologiae, inscribitur, et quem recensuit atque illustrauit Semlervs sub hoc titulo, Halae 1782. 8. Cuius libri parui quidem voluminis, sed egregii argumenti laudes enarrare, non opus est. Omnes fere percurrit studii theologici partes, iisque satis egregias adspergit obseruationes, quae potissimum huc redeunt, vt Theologiam a sordibus scholasticis purget, eamque purgatam sibi ipsi reddat, eiusque vim, ad animum formandum et alendum restituat. At vero paruus paginarum numerus huic libro destinatus, non nisi singulas, parcaque manu distributas admisit notas. Quamquam enim flagitatus eum paulo copiosiorem reddebat, quam qualem primae Noui Testamenti editioni adiectum ediderat, tamen ita rem temperare cupiebat, vt si liberet, praefationis loco posset addi, sin minus, separatim legi. Contenti ergo simus, si plura leuiter modo tractata legimus. Hoc ipsum valet de Herderi epistolis, quas sub hoc titulo edidit: *Briefe, das Studium der Theologie betreffend, Weimar* 1780. 4 *Theile.* 12. et paginarum numero et forma paruis. Tam multos autem more suo Vir ille tanto ingenio et doctrina praeclarus, flores, vt hoc vtar, odoriferos et salutares omnibus adspersit disciplinis, tam multas, quae eas deforment, abstersit maculas, tantumque noui luminis iis affudit, vt lectorem non solum inopinata laetitia afficiat, nouoque studiorum amore animum impleat, sed multum etiam ad haec studia dextre formanda afferat adiumenti. Et quamquam sibi fingit adolescentem, cuius studiis academicis epistolis suis subuenire velit, tamen ea est earum ratio, vt studiis priuatis non minus conueniant. Quid? quod vereor, ne multis, quae satis egregie quidem et eleganter notat, studia academica magis turbentur, quam promoueantur, quam ob causam et ipse nonnulla futuris temporibus seruanda esse monet. Neque tamen est praetermittendum, quod ipse in praefatione ad tertiam epistolarum partem addit, se nimirum non tractationes de rebus theologicis earumque studio, sed epistolas lectori tradidisse, in quibus continua, ab omni parte absoluta, et in ordinem redacta institutio, ne expectari quidem possit. Legamus igitur flores satis largiter sparsos, quos vt in fasciculum colligamus, nostrae curae est permissum. Caeterum hac occasione data, alium librum addamus Lessii, de quo fere idem est dicen-

rant. 5) E quibus omnibus, quod gratissimo recolo animo, multa eaque vtilissima mihi collegi consilia et praecepta ad studia recte instituenda, ordinanda, et leuanda. Quod vero omnibus meis desideriis responderet, non reperi. Talem nimirum exoptabam methodum, qua adhibita, scientia theologica in scholis academicis accepta, vsibus futuris magis magisque adaptaretur. Hoc vero, ex mea quidem sententia, non fit, disciplinis iis, in quibus sumus instituti, iterum iterumque vno eodemque modo repetendis, aut a minori Theologiae compendio ad maius eius corpus transeundo, sed in eo potius est positum, vt ope atque auxilio disciplinarum

---

dum, quem vero nullus, qui in his versatur rebus, praetermittet. D. Less *über christliches Lehramt, dessen würdige Führung und die schickliche Vorbereitung dazu, nebst einem Anhange von der Privatbeichte, Göttingen* 1790. 8. Hic paucis pagellis omnia, quae ad formandum ministrum ecclesiae spectant, comprehendit, et mira breuitate dignitatem muneris ecclesiastici, rationem cum studiorum academicorum et domesticorum, tum negotiorum denique susceptorum explicat, sed, quod aliter nec fieri nec exspectari potest, singulis, vno puncto quasi notatis, obseruationibus.

5) Huc referendum esse censeo librum Niemeyeri, nemini non notissimum, cui titulus est hic: *Briefe an christliche Religionslehrer, von D. Niemeyer, erste und zweyte Sammlung, über populäre und praktische Theologie, Halle* 1796. 1797. Quo quidem in libro Vir ille praeclarus non hoc sibi habet propositum, vt, viam ad Theologiam in se spectatam paret, sed in eo potius versatur, vt quae in Theologia populari et practica, de doctrina populo proponenda disputauerit, illustret, confirmet, defendat et argumentis ornet; atque omnis res eo in primis redit, vt prudentiam in docendo (*Lehrweisheit*) explicet ac promoueat, ad quam et ea spectant, quae de reuelatione, de Scriptura Sacra et de doctrina inde petenda disputat. Vnam igitur modo partem eorum tractat, quae nos ad studia Theologiae priuata referimus, et eam quidem, quam nos ad vtilitates studiorum a nobis nunc commendandorum referimus.

in scholis nobis traditarum, religionis ipsius fontes adeamus, doctrinae christianae naturam et vim indagemus, et ita ipsi de eius veritate atque dignitate in dies certiores facti eam et aliis distincte, accurate atque cum quadam efficacia tradere discamus. In hoc, vt opinor, illud domesticum Theologiae studium in primis versatur, quod futuris ecclesiae ministris commendari possit. Cuius vero recte instituendi et formandi primam, mihi quidem, cogitationem obtulit, HESSIVS,[6]) Cui, quantum debeam, verbis vix exprimere possum. Eo enim ipso tempore, quo de studiorum meorum ratione sollicitus animo dubio et ambiguo circumerrabam, egregius illius liber de ciuitate Dei edebatur, quem summa cum cupiditate legebam. Admirabar insignem illum rerum diuinarum in sacris libris expositarum orbem atque concentum, et maxima eius cognoscendi cupidine indagandique studio incendebar. Accedebat, quod eodem fere anno IERVSALEMIVS,[7]) cuius libris iam antea eram delectatus et eruditus, praeclarum, quem de reli-

---

6) In libro: *von dem Reiche Gottes, vom Verfasser der Geschichte Jesu, I. und II. Hälfte, Zürich* 1774. 8. repetito nouisque augmentis ornato 1781. in cuius praefatione auctor ait: *Das sind die Früchte der aufs Bibellesen verwandten Stunden, was ich euch vorlege; was mir die Wahrheit dieser Bücher am stärksten beweist; was mir ihren Inhalt schätzbar macht „der ins Grosse gehende Zusammenhang, den diese Begebenheiten unter sich, und der, den sie mit den Angelegenheiten des menschlichen Geschlechts haben,“ das möchte ich hier entwickeln, um gemeinschaftlich euch und mich in dem seligsten Glauben zu stärken.*

7) JERUSALEMS *Betrachtungen über die vornehmsten Wahrheiten der Religion*, cuius altera pars tum singulatim edebatur ab ao. 1774. deinde vtraque pars in vnum volumen collecta, 2. Th. 1785.

gione scribere coeperat, librum hoc modo continuabat, vt religionis reuelatae notitiam a primordiis rerum e sacris libris repeteret, quod votis meis ita respondebat, vt et ipsa huius libri lectione consilium iam captum animo eo altius inprimeretur. Inde ab eo tempore Scripturae Sacrae lectio, vna serie continuata, et ad librorum sacrorum ordinem composita mihi in primis curae cordique fuit. Ingredienda enim hac via, HESSII et IERVSALEMII exemplo mihi commendata, eorumque auxilio munita, sperabam fore, vt ad eum tandem locum peruenire possem, quo totius consilii diuini a primordiis rerum capti et de aetate in aetatem peracti râtio perspiceretur. Neque defuerunt Viri, et ingenii et doctrinae laudibus praeclari, qui ad haec mea studia leuanda multum afferrent adiumenti. ROSENMVELLERVM enim S. V. praecipue, vt in aliis, ita in hac causa optime de me meritum esse, gratus agnosco. Etenim eius libro de serie et ordine institutionum diuinarum 8) perlecto, non solum methodum ipsam in hoc studio adhibendam accuratius perspexi, sed de eo in primis certior sum factus, hanc librorum sacrorum lectionem quam plurimum afferre vtilitatis ad dubitationes, non paucas et leues, sed multas, grauissimasque soluendas, quae de reuelationis diuinae ratione non raro oriri solent. Neque dissimulare possum hoc loco laetitiam, qua me id potissimum affecit, quod paullo post MORVM quoque, praeceptorem a me maximopere amatum, hac via mihi praeeuntem animaduerti. Ex

8) ROSENMÜLLER in libro: *Von den weisen Absichten bey den verschiedenen Haushaltungen Gottes auf Erden*, a. 1767. repetito et aucto sub titulo mutato: *Ueber die Stufenfolgen der göttlichen Offenbahrungen. Hildburgh.* 1784.

eius dissertationibus de notitia religionis cum rebus, experientiae obuiis, et in facto positis, copulata, [9]) didici accuratam et sobriam rerum historicarum tractationem, in quarum vsu vero rectoque doctrinae etiam veritas est posita, quod eo exoptatius mihi contigit, quo facilius eo ipso loco a recta via aberrari et multis modis peccari potest ac solet. Atque hanc ipsam ob causam multum etiam debeo S. V. KEILIO, qui in commentatione de historica librorum sacrorum interpretatione eiusque necessitate [10]) me non solum edocuit, quid in scriptoribus variae aetatis legendis obseruandum sit ad verum sensum *historicum* eruendum, sed qui et iis, quae ad finem dissertationis de Theologia e Scripturis Sacris petenda, dixit, me ad studia inchoata vlterius prosequenda magnopere excitauit. A Viris tam multis et praeclaris in hanc viam introductus, eorumque verbis ac exemplo postea confirmatus, eam vsque ad hunc diem sum prosecutus, neque huius studiorum rationis ita institutae me vnquam poenituit. Laetissimo potius animo eas iam in memoriam reuoco horas, quibus, muneris mei negotiis peractis, ad hanc librorum sacrorum lectionem reuerti, mihi licuit, multumque iis debeo et voluptatis et vtilitatis, quae non solum ex accuratiori religionis cognitione, sed etiam e certiori de rebus diuinis animi persuasione in me redundauit. Haec autem omnia non attuli, vt, vanitatis studio indulgens, de meis rebus dicerem, sed vt statim ab initio totius huius libelli ratio eo facilius intelligeretur. Hanc igitur

---

9) MORI Dissertatt. theoll. Vol. II. P. I — V. p. 1 — 106.

10) Lips. cIↃIↃCCLXXXVIII.

studiorum domesticorum rationem, quam hactenus paucis verbis explicaui, aliis iam proponam, vt, quid Viri in his rebus versati de ea iudicent, audiam. Paruum quidem et satis rude lectori tradam opusculum, neque vnquam me eum esse fingam, qui rem tam grauem, multisque ex partibus difficilem ea, qua par est, subtilitate tractare potuerim, quod absolutioris certo est artificis. Totius huius libelli commendatio potius ab eo proficiscitur, si in rebus arduis conatus quoque non contemnendi videantur, et quamquam in se spectatus exigui est momenti, tamen non parua eius erit vtilitas, si aliis de eius argumento iudicare non displicuerit. A facillimis vero incipiam, vt eo securius ad difficiliora progrediar, rationibusque, cur a via trita paululum deflexerim, expositis, modum, quo in via, quam sum ingressus, adhuc incedam, explicabo. In tota vero huius rei tractatione, quod SOCRATES tanta cum modestia de se praedicat, id et meo animo alte impressum tenebo: *Ουδε γαρ τοι εγωγε ειδως λεγω, ἁ λεγω, αλλα ζητω κοινῃ μεθ' ὑμων.*

§. III.

Etsi non multa habeo, quae de Theologia in vniuersum deque eius studio dicam, tamen, vt res ordine quodam procedat, titulum libello nostro praepositum ante omnia explicare lubet, vt intelligatur, quid sit, de quo disserere instituerimus. Quaestio, quid sit Theologia? non habet difficultatem. Nam ex quo TITTMANNVS et ROSENMVELLERVS, Viri celeberrimi, [11]) in

---

11) S. V. TITTMANNVS in Commentatione de discrimine Theologiae et religionis cIↄIↄCCLXXXII. in Acad. Viteb. edita, qui primus hoc discrimen

eo elaborauerunt, vt theologiae naturam atque indolem accuratius explicarent, eique iustos constituerent fines, multa euanuerunt, quae antea huic quaestioni non leues attulerant difficultates. Etenim inter omnes iam constat, theologiam esse eruditam et subtilem religionis scientiam multarumque artium comitatu circumfusam, non modo e scripturis, sed etiam aliunde petitam. Quae quidem subtilitas theologiam non solum distinguit a populari religionis expositione, quae relicto eruditionis apparatu vulgari intelligentiae accommodata est, sed eam quoque euehit ad disciplinae dignitatem, quae est in accurata et erudita notionum tractatione. Ad rem in se facillimam igitur nihil addam. Cum vero theologiae vocabulum mox latiori, mox angustiori dicatur sensu, et nunc, vt apud Veteres, solam fere de Deo doctrinam significet, nunc, vt nostra in primis aetate, omnem theologicae eruditionis ambitum, theologiam exegeticam, dogmaticam, moralem, polemicam, symbolicam, patristicam, et quae sunt reliqua, comprehendat, ne incertus sit lector, hoc notandum esse putamus, nos eam, de qua potissimum dicere constituimus, theologiam ad subtiliorem earum rerum diuinarum cognitionem et tractationem referre, quae in scripturis sacris nobis traduntur, atque reliquas, quae theologiae nomine insigniri solent disciplinas, modo vt eius partes considerare, quae theologiae ita definitae aut inhaerent aut eam sequuntur. Quod vero priuatum huius theologiae studium attinet,

---

antea sparsim et leuiter obseruatum more suo luculenter et accurate exposuit. ROSENMVELLERVS noster in dissertatione de theologiae christianae origine, Lipsiae cIↃIↃCCLXXXVI. qui a TITTMANNO proposita non solum firmauit et illustrauit, sed plura addidit.

non raro quidem priuatum id appellari solet, quod publico opponitur, et nostris potissimum temporibus interdum etiam hoc sensu de religione et theologia priuata et publica fuit sermo. Quod praesertim inde ab eo tempore est factum, quo SEMLERVS inceperat, religionem publicam seu ecclesiasticam ab ea distinguere, quae cuique secundum varium cogitandi et sentiendi modum est propria, quaeque ex eius mente differt nonnihil a theologia subiectiua, quae vulgo dicitur, alias iam obseruata. Hunc virum magnum multi, vt fieri solet, sunt secuti, et variis modis de hac re est disputatum. A nostro autem consilio plane est alienum, immorari quaestionibus huc pertinentibus. Itaque in eo acquiescamus, vt vocabulum *priuatum* eo sensu a nobis non esse dictum, paucis verbis declaremus. Scilicet non de occulta et clandestina theologia loquimur, priuatumque eius studium non tam a publico, quam ab eo distinguimus, quod ex institutione, quae ab aliis accipitur, pendet et ad eam refertur. Quo quidem sensu MELANCHTHON locos theologicos, quos deinde, cum circumferrentur in manibus multorum recognitos et auctos aliis tradidit, sibi collegerat. 12) „Ad vsum domesticum, inquit in praefatione, hos locos mihi institui; prodest enim, firma et perspicua testimonia de singulis articulis doctrinae christianae ordine distributa velut in tabella habere proposita, vt cum disputant animi secum aut anguntur, sententiae certae in conspectu sint, quae trepidantes erudiant, erigant, confirment, consolentur."

---

12) MELANCHTHONIS loci theologici. Opus egregium saepius inde ab anno cIↄIↄxxI. repetitum.

§. IV.

Haec igitur cum studii Theologiae priuati sit ratio, de eo iam videamus, quid ad dextram eius conformationem pertineat. Neque haec primo intuitu difficilis esse videtur quaestio, neque profecto est, si tantum ad theologiam eiusque rationem supra definitam respexeris. Argumentum ipsum, in quo tractando diligentia nostra versari debet, nobis offertur; et subtilitas ea, qua erudita a vulgari distinguitur scientia, secundum philosophorum regulas in eo potissimum est posita, vt primum de rebus in sacro codice propositis accurata, et ex omni parte distincta formetur notio; deinde earum nexus diligenter obseruetur; denique haec omnia in iustum ordinem redigantur. Iam etsi negari non potest id ipsum, vt in praecipiendo facillimum, ita in praestando difficillimum esse; tamen de re ipsa nullum est dubium, et in eo si omne studii recte formati momentum ponitur, tota de methodo quaestio huc redit, vt modus, quo facillima ratione ad hanc subtilitatem perueniatur, explicetur. At vero, vt omnium fere disciplinarum, ita et theologiae tantus est ambitus, vt vel felicissimum ingenium eum vix ac ne vix quidem amplecti, aut ex omni parte emetiri valeat. Quo efficitur, vt, in theologia tractanda non solum ad res, quae nobis se offerunt, sed ad nostras vires, nostramque vitae conditionem simul attendi debeat; ex quo nouae de studio recte formando oriuntur quaestiones, eaeque satis graues. Primum iam ex ingenii et animi dotibus multiplici modo distinctis, et varia ratione distributis magna oritur studiorum diuersitas. Vi quasi interna occultaque animus mox ad hanc mox ad illam trahitur theologiae partem, ad theoreticam, aut ad practicam, ad

historicam et exegeticam. Haec vero mittamus, ne a consilio nostro nimis deflectamus. In hac re quisque suo indulget ingenio, et modo cauendum est, ne modus excedatur, neque negligendis neglectis vni rei nimis inhaereatur, quo non raro omnis verae theologiae cognitio impeditur. Alia autem studii formandi ratio posita est in externa vitae conditione, in prouincia cuique tradita, in rerum quibus circumdati viuimus forma, quaeque sunt huius generis alia. De quibus, vt nonnulla dicamus, necesse est. In his enim rebus latet scopus, ad quem nostra dirigantur studia, ex iisque consilium petitur, quod sequamur. Itaque incipiamus ab adolescentibus, qui in cursu academico versantur. Neque enim ab iis quidem priuatum theologiae studium negligi potest ac debet, plane alius tamen, nisi omnia nos fallunt, est generis, quam quod nos in hoc libello commendaturi sumus. Iuuenes, quod inter omnes constat, eo potissimum consilio litterarum adeunt vniuersitates, vt institutione publica, quae a Viris in rebus theologicis versatis accipitur, vtantur. Hic est scopus in vita academica omnium primus, ad quem et studia priuata referri debent. Accedit, quod in hoc studiorum stadio omnis et docentium et discentium opera in eo potissimum versatur, vt non solum earum rerum, quae ad religionem eiusque cognitionem et tractationem pertinent, ambitus, quantus quantus est, oculis proponatur, sed hoc etiam agatur, vt res tam varii argumenti et generis in disciplinas colligantur, in quibus mox ab hac mox ab illa parte diligentius explicantur, et in artis formam rediguntur. Quo quidem artificio adhibito cum rerum theologicarum intelligentia leuatur, tum his ipsis disciplinis instrumenta quasi parantur, quorum ope via ad studia

longius prosequenda aperitur, et recluditur. Quae cum ita sint, facile, vel me non monente, intelligitur, priuatum illud, cui iuuentus in academicis vacet, studium, huic consilio ita esse accommodandum, vt disciplinarum, quae recte vocari possunt, academicarum ratio accurate penitusque perspiciatur, atque menti familiaris reddatur. Quo vno ex annis illis academicis, qui opinione citius nobis eripi solent, fructus in vitam futuram salubres redundabunt. Itaque optime iuuenibus consultum esse censemus, si omnibus aliis rebus omissis, vestigia praeceptorum, quibus se formandos iam tradiderint, sedulo legant, eorumque consilia, doctrina et experientia probata, cupide quaerant, iisque recte vtantur; atque huius rei non me, sed viros in his rebus satis exercitatos auctores et suasores habent, e quibus NOESSELTVM et PLANQVIVM[13]) nominare iuuat, qui in libris supra laudatis, multis in locis sparsim et praecipue in paginis infra notatis de hac re ita egerunt, vt, quanam ratione hoc studium non seruili modo, sed liberaliter instituatur, docuerint. Ne quis vero ea, quae diximus, in sensum a mente nostra alienum detorqueat, iuuenesque a tali theologiae studio, quod expositituri sumus, prorsus a nobis retineri aut deterreri censeat, hoc adiiciamus. Etsi in vita academica neque tempus, neque locum esse censeo, quibus ad haec studia toto pectore incumbatur, tamen eorum ratio et forma inde ab initio oculis proposita multum afferet commodi. Primum quidem ex ea optimus quisque intelliget, quanti momenti sit accurata

13) vid. NOESSELTS *Anweisung*, etc. Part. III. §. 644 seqq. — 660. D. PLANCKS *Einleitung*, Part. II. p. 529. seqq.

disciplinarum academicarum tractatio, in quibus omne verae theologiae fundamentum est positum, quibusque neglectis de tali, quod commendamus, theologiae studio ne cogitari quidem poterit; deinde sibi cauebit, ne tempus aliud agendo, et studiis in omnes eruditionis partes diffusis perdat; denique laetam inde concipiet spem, viam sibi patere, qua in dies longius progredi, totam vitam in perscrutanda veritate consumere, animumque de ea certiorem reddere possit. Addam et hoc, si modo contingat, eiusmodi praelectionibus in sacros libros interesse, quales LESSIVS [14]) praecipue in Vet. Test. commendat, et quas BACO de VERVLAMIO [15]) suo tempore in desideratis habebat, in quibus nimirum praetermissis adnotationibus mere grammaticis et polemicis, adhibitis modo obseruationibus historicis et rei enarratae accommodatis, textus legitur, et paucis explicatur, huius studii in vita quoque academica initium saltem poterit fieri. Quodsi vero breuitas temporis hoc non permittit, cedat quisque rebus non mutandis, et scopo, qui in vita academica est primus, sua accom-

---

14) In libro supra laudato: *Ueber das christliche Lehramt*, p. 67.

15) Inter alia, quae FRANCISCVS BACO de VERVLAMIO in libro nunquam satis laudando de dignitate et augmentis scientiarum, et in theologia desiderat, hoc etiam libro IX. c. 1. habet. „Collectionem, inquit, desidero succinctam, sanam et cum iudicio annotationum et obseruationum super textus scripturae particulares neutiquam in locos communes excurrendo, aut controuersias persequendo, sed, quae plane sparsae sint et natiuae. Quemadmodum vina, addit, quae sub primam calcationem molliter defluunt, sunt suauiora, quam quae a torculari exprimuntur; similiter salubres admodum ac suaues sunt doctrinae, quae ex scripturis leniter expressis emanant. Huiusmodi tractatum emanationes scripturarum nominabimus.“

modet studia, nostraque seruet consilia in futura tempora, quibus forsitan ea seruasse iuuabit.

§. V.

Vt vero in ipso ad litteras sacras aditu scopus, e vitae academicae ratione repetitus, ad studia theologiae priuata dextre instituenda est consulendus, ita et, vita academica peracta, tota eorum conformatio, ad consilium, quod tum habemus, est reuocanda. De quo eo diligentius est cogitandum, quo propius ad finem et vsum omnium studiorum accedimus. Via quidem ad omnem theologiam nobis est patefacta, non autem ita, vt eam vna eademque diligentia in omnes partes persequamur, quod nullo modo fieri potest, sed eo potius consilio, vt ad qualemcunque finem, ad quem tendamus, peruenire possimus. Dolendi sunt, qui hac regula neglecta, omnes disciplinas theologicas sine ordine et ratione quasi circumuolant, seque nunc huic, nunc illi adstringunt, in nulla vero pedem figunt, ex quo fit, vt molem multarum quidem rerum, sed rudem et indigestam congerant, atque prorsus inutilem. At vero quis tandem ille est scopus, ad quem omnia referri debeant, ac possint? Ad quam quaestionem vt recte et accurate respondeatur, ante omnia duplex eorum genus est distinguendum, qui hanc ingrediuntur viam. Primum quidem est eorum, qui academicum, alterum qui ecclesiasticum adeunt munus. Ad hoc, e scholis academicis dimissi, peruenimus ambiuium, in quo certum de futuris rebus nostris capiatur consilium. In scholis quidem academicis ad vtrumque praeparamur, quod bene se habet, neque iis assentior, qui iam in hoc studiorum stadio futuris in academia doctoribus et ecclesiae ministris, in theoreticis etiam

disciplinis diuersam accommodari volunt rationem, quique magistris succensent, si in rebus theologicis explicandis subtiliores sint, quam ad munus ecclesiasticum olim gerendum necessarium esse putent. Valde ex mea quidem sententia errant, atque obliti sunt scopi vitae academicae supra iam explicati. Sed his disciplinis academicis, in quibus omnis verae theologiae fundamentum est positum, iam percognitis, scholisque, in quibus docentur, relictis, de earum vsu est cogitandum, et hic vsus e futuro vitae genere est diiudicandus. Ii nimirum, qui ad munus doctoris academici olim gerendum se accingunt, omnem omnino operam in eo collocare debent, vt non solum religionis ipsius naturam ac indolem omni, qua fieri potest, subtilitate indagent, atque perscrutentur, sed et disciplinas ab ingenio humano inuentas, et arte multa elaboratas sedulo tractent. Prouinciam, Deo fortunante, olim in se suscipient, in qua religionis et theologiae res simul agitur; in qua non solum vtramque tueri ac defendere; sed, quod omnium est grauissimum, in qua et alios ita erudire et conformare debent, vt suo tempore pari modo, eadem vi atque efficacia religionis et theologiae veritatem ac dignitatem tueri et defendere possint. In mediam quasi arenam orbis eruditi et theologici descendent, vbi multis modis, omnisque generis armis de rebus grauissimis certatur, vbi non solum ab iis hoc expectari solet, vt errores, quos aut argutiarum calliditas, aut mentis humanae leuitas religioni admiscet, detegant, dubitationes, quas ingenii subtilitas et sagacitas gignit, soluant, omnesque illas machinationes, aut ad omnem religionem euertendam, aut ad christianam saltem doctrinam la-

befactandam adhibitas, destruant; sed et hoc, vt nouam veritati lucem afferant, eamque aliis et aliis argumentis suffulciant. Quod, quantum eruditionis omnis generis ambitum, quantamque cum omnibus disciplinis theologicis tam arcte inter se iunctis familiaritatem requirat; quisque, vel me non monente, facile intelligit.[16]) Tota profecto vita his studiis est danda. Perpendat, qui hanc ingreditur viam, se duplicem induere personam, et personam doctoris theologiae siue disciplinarum theologicarum; et personam doctoris religionis, siue doctrinae auxilio et ope disciplinarum e scriptura sacra eruendae. Primum futuro doctori academico est proprium; alterum cum aliis, qui litteris sacris operam dant, habet commune. Ex quo clarum est, quomodo illius potissimum studia differant a studiis cuiusuis theologi et in primis ministri ecclesiae,[17]) atque hanc ipsam ob causam commodum, quin etiam necessarium esse existimo, vt vterque diuersam ineat studiorum domesticorum viam. Quanam vero ratione is, qui munus academicum ambire velit, suis rebus optime consulere possit ac debeat, hanc quaestionem satis grauem iis relinquo, qui in his rebus sunt exercitati, totumque me ad eos conuerto, qui muneribus ecclesiasticis olim praefici cupiant.

---

16) Conferatur MOSHEMIVS in libro: *Kurze Anweisung die Gottesgelahrheit vernünftig zu erlernen. III. Hauptstück von dem Theologo unsrer Zeiten.*

17) De qua re vid. Programma NOESSELTI de diuersitate studiorum, quibus Theologum decet, ceteris ecclesiae doctoribus praestare. Hala cIↃIↃCCLXVII.

§. VI.

Grauissimam in se suscipit prouinciam, vt vidimus, qui munus academicum adit, neque tamen leuioribus rebus inhaerescit, qui studia sua muneri ecclesiastico olim rite gerendo aptare incipit. Multa quidem hic curanda non habet, in quibus ille omnem collocare debet operam, sed alia afferuntur, quae non minoris sunt momenti. De quibus vt eo facilius possit iudicari, muneris ecclesiastici rationem paulo accuratius perpendamus. Nostris temporibus multa vario consilio, variaque mente de munere ecclesiastico disputari solent, quorum plurima omnibus satis nota sunt. Ea igitur modo attingamus, quae ad nostram rem pertinent. Vocatur nostrum munus *ecclesiasticum*, dicimurque *ministri* ecclesiae, atque in hoc maneamus. Etenim nullo fere nomine ea, quae ad prouinciam nobis olim tradendam aut iam traditam spectant, breuius et accuratius exprimi possunt. Quemadmodum apud professorem theologiae omnia ad academiam, ita apud nos omnia ad coetum christianum, cui adiungimur, referenda sunt. Accedit, quod haec ipsa denominatio scripturae sacrae eiusque loquendi modo quam maxime conuenit. Quamquam nos non eo sensu ac dignitate, qua Apostoli eorumque socii *δουλοι* et *ὑπηρεται Χριϛου*, aut *οικονομοι μυϛηριων Θεου*, aut *διακονοι καινης Διαθηκης* dicimur, tamen eos sequimur, etsi non auctoritate, tamen officio et munere. Vt enim illi, ita et nos, Christum vnum habemus dominum, ducem, atque magistrum doctrinae diuinitus traditae, quam, vt accepimus, fidei nostrae sociis reddere, nouaeque institutioni per Christum exhibitae ministrare debemus, non quidem, vt sacerdotes, quorum opera et interces-

sione opus sit ad beneficia, per diuinam indulgentiam parata, accipienda, sed vt *συνεργοι* veritatis propagandae et laetitiae inde percipiendae, vt Paulus 2. Cor. 1, 24. et Ioannes ep. III, v. 8. dicit. Hac ratione facilius, et rectius de eo, quod muneri nostro est proprium, iudicari potest, ac si nos, quod multis placet, doctores populi (*Volkslehrer*) aut religionis, aut sapientiae atque virtutis magistros appellemus. Qui quidem tituli magnopere nobis oblati, et iterum iterumque commendati, tam vagi esse videntur significatus, tam multiplicis explicationis, vt quid sibi velint, vix possit intelligi, et si dicendum, quod res est, multum ad rem *in se satis* claram non vna ex parte implicandam contulerunt. Quid enim quaeso doceamus populum? Cuiusnam religionis simus praecones? quae tandem ea est sapientia, quam commendemus? Audiat, qui his titulis delectatur, consilia, quae vulgo dantur, nos ei nihil inuidemus. In verbis et titulis quidem simus faciles, appellet nos aetas, qua viuimus, nomine, quo libuerit, modo hoc teneamus, omnia muneris nostri officia et negotia hoc vno contineri: vt coetum Christi, cui adiungimur, omni, quo fieri potest, modo adiuuemus in rebus, quae ad fidem et vitae sanctitatem, disciplinae christianae conformem, et gignendam et alendam valeant. In iis secundum domini et magistri nostri amantissimi praecepta simus socii et adiutores fratrum nostrorum, vt nos et alios seruemus, felicesque reddamus. Quam quidem rem multo accuratius et copiosius tractauit S. V. Morvs in dissertatione ad locum Ephes. IV, 11—17. in quo de diuersis generibus doctorum eorumque officiis et negotiis agit apostolus. [18]) „Ex omni orationis

18) In Dissertt. theoll. V. II. IV. p. 205. 218.

Paulinae serie, scribit ibi MÖRVS, „intelligi, id doctoribus agendum esse, vt christiani ad vlteriorem scientiam rerum diuinarum prouehantur; vt certam persuasionem de iis adipiscantur; vt denique per ea, quae ipsi habent, aliis amanter inseruire adsuefiant;“ et in alio huius dissertationis loco ostendit, quanam potissimum ratione haec a doctoribus christianis doceri, vnde repeti, et ad quem finem perduci debeant: omnes nimirum illos profectus atque incrementa referri debere ad Christum, quia illi debeantur, quia ille procuret, vt profectus faciamus, quia exhibeat conseruetque doctrinam suam in id, vt locus sit profectibus, quia ab illo quaerendi sint et exspectandi, conuertendi denique in eius laudem, in vsus ecclesiae, conuenienter eius voluntati. Atque eadem fere, etsi alia quadam ratione, dicit SPALDINGIVS, Vir et annis et meritis summe Venerabilis, in opere classico de dignitate et fructu muneris ecclesiastici. [19]) Postquam enim de commodis est locutus, quae ciuitas vniuersa e munere ecclesiastico percipit eo, quod vita honesta alitur et mores ciuium formantur, addit hoc, multo maiora tamen a ministris ecclesiae exspectari debere et posse, eorumque munus id potissimum habere, vt ani-

19) SPALDING. *Von der Nutzbarkeit des Predigtamts und deren Beförderung, IIIte vermehrte Auflage. Berlin* 1791. 8*vo. p.* 101. *Ich kann mich unmöglich überreden, daſs sich mit dem bürgerlichen Nutzen der ganze Zweck unsers Berufs erschöpfen lasse. Wenn die Frage ist, wozu wir da sind? so liegt meines Erachtens die ursprüngliche Anordnung unsers ganzen Amtes darinnen: eine Gesellschaft von Bekennern der Religion will jemand haben, der sie unterrichte und ermuntere, Gott zu gefallen, die Ruhe eines guten Gewissens zu genüſsen, und zu einer glücklichen Ewigkeit geschickt zu werden.*

mus ad Deum ducatur, tranquilletur, et ad futuram felicitatem obtinendam praeparetur. Hic vero operae pretium esse censeo, neque ab hoc loco alienum, ad totam hanc rem illustrandam verba WERENFELSII repetere, qui, cum professionem theologicam post obitum WETSTENII ad se delatam susciperet, *de scopo doctoris in Academia S. litteras docentis* ita disputauit, vt et muneris ecclesiastici rationem, ad quod rite olim gerendum iuuenes in academia praeparantur, accurate explicaret. „Pastor euangelicus, inquit praestantissimus hic Vir, non est vox in templo clamans et praeterea nihil; neque homo, qui satis memoriae habet ad concionem probe retinendam, satisque audaciae ad eam coram ingenti coetu recitandam; neque orator, cuius est, auditorium suum delectare, eiusque plausum excitare; neque homo aptus ad lectiones theologicas auditoribus habendas, aut systema locorum communium iis commode explanandum, aut disputator et criticus, omni linguarum, historiarum et antiquitatum apparatu instructus. Sed pastor euangelicus est homo, qui de sublimi illa scientia, a qua beata aeternitas pendet, in dies penitus cognoscenda, latius diffundenda, efficacius persuadenda cogitat, qui coetui christiano adiungitur, vt tum publice concionando, tum aliis familiaribus instructionibus verbum Dei, dogmata, fideliter, solide, eaque, quae ad omnium et singulorum captum accommodata sit, perspicuitate explanet; qui, quemadmodum ipse de his dogmatibus plene persuasus est, ita etiam auditores suos de eorum veritate conuincere et persuadere sciat; qui hanc persuasionem non sterilem in iis esse patiatur, sed identidem iis monstret, qualem Dei amorem et

cultum, qualem vitam fides christiana ab iis requirat; monstret id argumentis ex verbo Dei repetitis, exemplis sanctorum, et suo proprio exemplo; qui peccantes corripiat, induratos emolliat, securos terreat, debiles fulciat, segnes excitet, dubiis consulat, recte agentes ad perseuerandum atque in bono crescendum inflammet, afflictos erigat, aegrotos inuisat atque ad patientiam cohortetur, moribundos contra mortis terrores sustentet." En imaginem ministri ecclesiae omni vi oratoria, summaque cum pietate oculis propositam! —

§. VII.

Iam si haec est ratio, hic scopus muneris ecclesiastici, facile inde intelligitur, quid in studiis nostris theologiae domesticis ante omnia sit quaerendum, ad quam potissimum formam sint componenda, et ad quem finem dirigenda. Omnia, vt opinor, huc fere redeunt, vt cum accuratam disciplinae christianae cognitionem, tum certam de eius veritate et dignitate nobis paremus persuasionem. [20]) In hoc duplici negotio omnis nostra versetur opera et diligentia. Sub accurata autem disciplinae christianae notitia, de qua primo loco nobis est dicendum, non intelligimus illam subtilem ad regulas scholae formatam, omni genere eruditionis humanae ornatam, rerum theologicarum scientiam, quae facit theologum academicum, sed distinctam rerum cognitionem, e scripturis sacris haustam, solidis argumentis, e natura rei inprimis petitis,

---

20) Heilmanni dissertatio de discrimine diuinarum notitiarum Theologi et Christiani, in opusc. Theolog. a Danouio editis. Vol. II. p. 211.

firmatam, et vsibus muneris nostri accommodatam. Illa quidem subtiliori scientia carere potest minister ecclesiae, hac distincta vero nullo modo. Errat, inquit MORVS, [21]) qui se vere et cum fructu certo, et vt decet doctorem, populariter traditurum doctrinam religionis sperat, si modo summam eius omnibus christianis cognitu necessariam, et ea, quae ad ipsum vsum pertinent, teneat. Nam qui vno hoc modo se docendi negotio paravit, is ita quidem repetet elementa, vt didicerat, cur vero ita tradat, quomodo in omnes partes versando vberius explicet, qua via, quoad vsque, per quae praesidia vlterius ducat christianos, qui vlterius progredi cupiunt, haec omnia ignorabit. Qualis autem haec accurata, distincta, solida, vsuique ministri ecclesiae accommodata cognitio esse debeat, hoc non solum e scopo muneris, de quo hactenus diximus, sed etiam e natura atque indole religionis christianae definiendum esse videtur. Non raro quidem omnis religio christiana in mera doctrina posita esse censetur, et omnia, quae huc non pertinent, posthabentur, sed quae ERNESTIVS [22]) dixit, sunt verissima: Iesus Christus nouae, non doctrinae et religionis, sed disciplinae est auctor, ad quam et in primis minister ecclesiae respicere debet. De re ipsa vix dubitari potest. Nam primum quae Vir ille immortalis ad omnem omnino refert disciplinam, ea etiam Christianismo inesse constat. Habet enim primum hoc, vt sensus animis iniiciat, quibus verae pietatis atque

---

21) in Epitome theologiae in praefatione p. 1.

22) in Dissert. de disciplina christiana. Lipsiae cIↃIↃCCLXXI. edit. sec.

§. XXVII.

virtutis amor excitetur, foueatur, magis magisque alatur et firmetur, denique etiam conseruatio officiorum facilior et constantior reddatur. Continet instituta, per quae primum sensus illi pii et honesti in animum suscepti confirmentur acuanturque, deinde actiones ipsae christianae et opera pietatis, tum externa, tum interna faciliora reddantur, detracta in primis molestia, quam in agendo habent apud animos eorum adhuc rudes: adde per quae praeparantur homines ad actiones maiores similitudine quadam actionum. Tandem et iniungit exercitationes quasdam, quibus vitiosas consuetudines debilitare, peccata cauere, tentationes, quae nobis obuenerint, superare possimus, denique, quod volumus, facere certo et constanter facere, vt adeo ad omne bonum opus apti reddamur et idonei. Deinde de mera doctrina, quae modo est in decretis et placitis, in regulis et praeceptis vix vnquam poterit cogitare, qui, quae S. S. de Christianismo dicit, accurate perpendit. Quodsi enim tota res euangelii posita est in mera doctrina; quodsi Christus, modo doctor religionis, aut magister scholae cuiusdam est, quamquam ille aliis doctoribus praestantior aut diuina adeo auctoritate praeditus dicatur, plane non video, quid sit, quod dicatur *κυριος* eo sensu, quem Morvs e locis multis S. S. repetiit et demonstrauit et finiuit; [23]) porro *σωτηρ*, quod ita magnum est apud Graecos, vt Cicero hoc latino vno verbo exprimi posse neget, et quod apud nos etiam eum notat, qui salutem dedit; quid sit *ἡ βασιλεια*, quam instituit, seruat, tuetur; et *το εργον*, quod viuendo et moriendo perficit; quid sibi hoc velit, si peccata remittit; mortem se abolere affirmat; seque iudicium futurum a

23) Epitome p. IV. C. II. sect. III. 163. ss.

suis declinare velle praedicat, suosque vi sua in melius mutare promittit, et quae sunt alia. Haec profecto non sunt doctoris, qui, more praeceptorum, verbis meris rem aliquam exponit, aut praecipit, sed personae potestate rei agendae et perficiendae praeditae, quae negotium sibi traditum aut in se susceptum re ipsa perficit, ad cuius non solum verba, sed etiam facta attendere debemus. Hic vero praetermittere non possum locum Erasmi *) egregium illum, quo, quid tota haec disciplina Christi sibi velit, ad quem animi sensum et ad quod vitae genus eius familia ducatur et formetur, exponit: „Illum coelestem doctorem nouum quendam populum in terris instituisse, ait, qui totus coelo penderet, et omnibus huius mundi praesidiis diffisus, alio quodam modo diues esset; alio sapiens; alio nobilis; alio potens; alio felix; — qui ad vnius Christi gloriam referret omnia, sese propter Christum submitteret omnibus; — qui volucrum ac liliorum ritu in diem viueret; apud quem summa esset concordia et mutua charitas; — qui, quidquid posset, id omnibus iuuandis posset; cui et mors esset optanda immortalitatis desiderio; qui nec tyrannidem timeret — nec mortem — nec ipsum denique Satanam, vnius Christi praesidio fretus; qui modis omnibus sic ageret, vt ad extremum illum diem semper esset velut accinctus et paratus.“ Quodsi hic est scopus a Christo praepositus, quo omnia Christianorum sint referenda, facile intelligitur, ad quem finem et nostra studia theologiae domestica in primis sint instituenda et dirigenda. Hanc disciplinam Christi, vt in dies accuratius intelligamus et penitus perspiciamus, hoc opus, hic labor est. At vero, vt supra

*) In libro laudato p. 47.

iam diximus, non solum accurata, solida, vsuique accommodata cognitio, sed certa etiam de religionis nostrae veritate et dignitate animi persuasio nobis curae cordique esse debet, atque haec non minoris est momenti. Recte enim, vt opinor, in illo diario ministris ecclesiae adscripto, quod infra notauimus, 24) discrimen, quod Philosophum et doctorem religionis intercedit, in eo positum esse affirmatur, quod ille de rebus, quas tractat, quaerit et disputat, argumenta in vtramque partem proponit et ponderat, rem vero ipsam cuique ad disceptandum tradit; hic vero doctrinam, quam coetus christianus pro diuina habet, menti propius admouet, explicat, repetitis aut nouis argumentis demonstrat, eius vsum commendat, et quanam ratione ad animum conformandum et ad tranquillitatis praesidia stabilienda valeat, docet. Quae cum ita sint, multum profecto interest, vt rem non solum sciamus, sed de eius veritate persuasum nobis habeamus. Hoc nobismet ipsis et coetui Christiano, cui sumus adiuncti, debemus. Non solum, vt Cicero ait in libro de natura Deorum, temerarium est, quod non satis explorate perceptum sit et cognitum, sine vlla dubitatione defendere, sed iure addi potest, viro honesto prorsus est indignum et molestum. Atque languidus ille animus et demissus, quo multi tam grauis muneris funguntur negotiis, et de officiis sibi impositis, vt de re molestissima, queruntur, illa simulatio et dissimulatio verae pietati tam obnoxia et aliis tam inuisa, quam Hvmivs 25) omnibus religionis doctoribus inhaerere calumnia-

---

24) *Journal für Prediger*, 34. *Band*, 3 *Stück*.

25) Essays and Treatises on seueral subjects. London, 1760. Vol. l. p. 324.

tur, maximam partem e mente dubia et incerta ortum ducit. Certa persuasio de dignitate muneris ecclesiastici, et de scopo eius grauissimo, teste SPALDINGIO, [26]) vnus et verus est fons animi promti et ad difficillima negotia parati. Neque de hac re nostri tantum causa solliciti esse debemus, sed coetui Christiano hoc etiam debemus. Etenim fieri non potest, vt doctrinam illam coelestem et salutarem ea, qua par est, grauitate et efficacia aliis tradamus, nisi et nostrum pectus sincero et vero eius amore fuerit impletum. Πιϛευομεν, inquit Paulus, διο λαλουμεν 2. Cor. IV, 13. et ita est. Pectus non *solum*, vt *Quinctilianus aliquo loco* affirmat, disertos facit, sed pectus est, vt MORVS addit, quod facit etiam perspicuos. Hic veritatis sensus et amor est fons illius eloquentiae, quae cor afficit et mouet; atque ad virtutem christianam inflammat. Hic aptissimam nobis suppeditat materiam, quae προς οικοδομην valet; docet nos, retentis vtilibus, resecare ea, quae ad vanam ostentationem inanemque aurium titillationem faciant. Hic vocem et gestus dirigit, omnemque ingratam remouet affectationem, dictis pondus addit, auctoritatem conciliat, et auditores attentos et dociles reddit. Erramus, si omnes ac singulos christianos, aut plurimam saltem eorum partem fidei et pietatis tam ignaram et imperitam esse fingimus, vt ne distinguere quidem possit, quid e libris, vt didicerimus, modo recitemus, et quid ex intimo corde et experientia haustum tradamus. In illis

---

26) SPALDING lib. laud. p. 153. *Die einzige wirksame Triebfeder einer nützlichen Führung unsers Amtes ist der im Innersten unsers Herzens empfundne und stets lebendig unterhaltne Gedanke von dem so äusserst würdigen Zwecke desselben.*

forsitan nonnulli laudant et admirantur artem, in his autem vim ad animum formandum et tranquillandum sentiunt. Illa arte virtutis imago quaedam oculis proponitur, quae Phantasiae est fructus, cuius intuitu mens amoeno et iucundo sensu afficitur, sed praeterea nihil, externa eius forma modo depingitur; haec vero eloquentia e corde hausta interiorem virtutis naturam recludit, eiusque initia et progressus, impedimenta et subsidia offert, et ad consilia capienda excitat. Illic multa disputantur v. c. de praestantia religionis, de dignitate naturae humanae, de pretio amoris erga alios, sexcenties repetita; hic de modo agitur, quo religio menti re vera imprimatur, animus ad illam nostrae naturae dignitatem evehatur, amor erga alios factis demonstretur, et quae sunt alia. Non raro de oratoribus christianis ita dictis valet, quod PLATO Lib. X. de republica, de poëtis dicit, qui rei scientiam non habent, neque rem ipsam conficere possunt, sed in tertio veritatis aut virtutis gradu, quem vocat, collocati eius formam externam modo depingunt. Et nescio, quid tales homines ad hanc SOCRATIS quaestionem responsuri sint. Ω φιλε Ὁμηρε, ειπερ μη τριτος απο της αληθειας ει αρετης περι ειδωλου δημιουργος, αλλα και δευτερος, και οἱοστε ησθα γιγνωσκειν, ποια επιτηδευματα βελτιους η χειρους ανθρωπους ποιει ιδια και δημοσια, λεγε ἡμιν, τις των πολεων δια σε βελτιον ωκησεν; 27)

27) Haec verba latine versa sic se habent: O amice Homere, si non es a veritate tertius, fingisque virtutis imaginem, sed es secundus, potesque narrare, quae studia homines vel meliores vel deteriores priuatim publiceque efficiant, dic, obsecro, quaenam ciuitas per te rectius disposita est?

§. VIII.

His ita definitis, ad eum iam peruenimus locum, quo methodum in priuato theologiae studio adhibendam, quam supra leuiter modo attigimus, accuratius exponere constituimus. Quae autem cum a methodo, in academicis studiis vsu recepta, non nihil recedat, ne ingrato animo et modo temerario viam tritam reliquisse videamur, rationes nonnullas afferre lubet, e quibus mens et consilium nostrum intelligi et diiudicari possit. Incipiam a leuissima, sed tamen non contemnenda ratione, quae ad methodum, in studiis academicis maxima cum vtilitate seruatam, in studiis priuatis tamen mutandam, me compulerit. E rei ipsius natura est petita. In omnibus rebus, quae scientiam spectant, cum ad eas accuratius inspiciendas, tum longius prosequendas, tum menti altius imprimendas quam plurimum valet, si methodus interdum mutetur. Quo fit, vt non solum ea, quae iam sunt obseruata, noua quasi luce illustrentur, sed multa antea forsitan praetermissa oculis offerantur. Accedit, quod animus, e suo arbitrio agens, et propria vi nouam viam ingrediens, cum multo attentior est ad rem sibi propositam, tum eo facilius ad certam peruenit persuasionem. Quo factum est, vt non solum omnes, quibus res theologicae curae cordique essent, de locis theologicis sibi colligendis cogitarent, cuius rei exemplum luculentissimum in MELANCHTHONE habemus; sed vt ii, qui de methodo theologiae discendae et altius prosequendae agerent, talem locorum collectionem iterum iterumque commendarent. Quod inprimis reperies apud antiquiores, e quibus HYPERIVS in libro supra laudato varias methodi formas ex AVGVSTINO, IOANNE

Damasceno, Petro Lombardo, exempli loco proponit, et duplicem ex ingenio et arbitrio suo addit, et ab Erasmo idem commendatum leges, in libro de ratione verae theologiae, qui talem summam dogmatum ex euangelicis fontibus et apostolorum litteris repetendam breui manu pingit, quae a consueta et isto tempore recepta quidem toto coelo differt, sed absolutioris est artificis, atque huius rei et recentiores, etsi alio modo et ratione, sunt suasores. Iam igitur hoc loco non reprehendendus esse videor, si methodum a consueta diversam propono, quae si non omnibus, tamen vni et alteri esse possit commoda, et, vt res nunc sunt, proprio. Marte sit elaboranda. Alteram vero rationem repeto ex ipsa illa forma, quam theologia apud nos habet. In varias disciplinas est diuisa, quarum vna accuratam librorum sacrorum interpretationem, altera dogmatum explicationem, alia eorum in systema quoddam collectionem, alia rerum moralium expositionem habet et tractat. Quae quidem omnia, vt supra iam diximus, vsui academico bene inseruiunt, cum hac ratione copia rerum, alias vix ac ne vix quidem capienda, in loculos quosdam distribuatur, ad ordinem quendam redigatur, ex variaque parte tractetur. An vero haec, quae subtilitas et diligentia humana ad tempus certum et consilium certum ita separauit, nunquam iterum nobis sunt colligenda? An nos, qui e scholis dimissi sumus, per totam vitam libros sacros eo consilio vno legamus, vt nunc eos secundum regulas grammaticas et criticas interpretemur; nunc eos ita tractemus, vt dogmata ex iis colligamus; nunc eos iterum hoc consilio in manus sumamus, vt praecepta vitae recte conformandae eruamus? Estne omnium earum rerum, quae nos tiro-

nes separatim ac deinceps inspeximus et didicimus, intimus et naturalis nexus? Spectantne haec omnia ad hunc vnum scopum, vt eam, quam diximus, disciplinam Christi omni ex parte recte et accurate intelligamus? Visne tu, eum, vt hoc exemplo vtar, qui historiam naturalem tractat, in perpetuum ad disciplinas Zoologiae et Botanices aut Mineralogiae ab ingenio humano inventas et humana arte elaboratas, alligari? Annon ita formato, tandem rerum naturam ipsam inspicere et rerum creatarum seriem atque concentum naturalem indagare, proderit? Ita profecto est. Abusus igitur est disciplinarum academicarum, si iis per totam vitam ita inhaeremus, vt aut tirocinium nostrum iterum iterumque repetamus, aut eas ad interiora vsque persequamur, quod neque nostrae conditioni, neque nostro consilio respondet. Bene quidem se habet, quod his disciplinis academicis instructi et ornati ad studia theologiae priuata transgredimur, et his adminiculis neglectis, fateor, nos talem, qualis doctorem religionis deceat, rerum diuinarum scientiam nullo modo assequemur. Non autem, vt GREGORIVS, ait, in perpetuum τεχνόλογειν, sed θεολογειν nos oportet. At vero sunt tamen nonnullae disciplinae, quae circa res ad nos pertinentes versantur, de quibus, ne iniquus arbiter esse videar, separatim dicere, fas est. Theologia nempe dogmatica, et, quae nostris temporibus vsitata est, theologia popularis et practica, quibus addita est theologia biblica, ad vnam omnes, in disciplina christiana explicanda et demonstranda versantur, et ingrati videtur esse animi, ea negligere aut contemnere, quae solertia virorum doctissimorum ad nostra studia leuanda attulerit. Etsi vero ea nullo modo neque negligenda sunt, neque

contemnenda, tamen nescio, an vlla earum disciplinarum ita sit comparata, vt nostris satis conueniat rationibus. Ad studia nostra leuanda quidem quam plurimum valent, sed ne consilio quidem eo sunt inuentae, nec ad hunc vsum elaboratae, vt iis, e scholis dimissi, insistamus. Primum enim iam methodus, quae in iis e more et consuetudine introducta ad res diuinas tractandas adhibetur, satis superque declarat, eas magis scholae, quam priuatis studiis esse accommodatas. Nam e principiis quibusdam fundamenti loco positis omnia deduci, deductaque referri ad ea solent; qui quidem mos et in theologia biblica, quae formam systematicam exuisse se praedicat, seruari solet. Sed haec methodus, quam Baco [28]) magistralem appellat, ad institutionem etsi aptissima, ad res tamen diiudicandas aut inueniendas minus est idonea, cui negotio genetica aut quam ille Philosophus appellat initiatiua, magis conuenit. Non ignoro quidem, methodum esse rem arbitrariam, neque eam, quae iam est recepta, cum disciplinis ipsis necessario esse coniunctam; quod et exempla eorum satis declarant, qui morem consuetum saltem ex parte reliquerunt aut immutauerunt. Sed hoc loco de eo loquimur, quod vulgo fit, et quod fere fieri debet, si tales libri scopo institutionis respondere debeant. Sed ne rebus incertis inhaereamus, his praetermissis, argumentum ipsum, quod in his disciplinis tractatur, perpendamus. Negari vero non potest, theologiam dogmaticam siue theoreticam siue moralem et popularem et biblicam hoc habere, quod est in disci-

---

28) Baco de Vervlamio in libro de dignitate et augmentis scientiarum. lib. VI. c. 11.

plinis; vnam scilicet eandemque rem ex alia et alia parte tractant, omnesque sunt adeundae, si rem totam, vti est, inspicere cupias. Quod eo luculentius apparebit, si singulas saltem percurramus; ex quo simul intelligetur, quanam ratione iis ad nostras res vti possimus. Non assentior quidem recentioribus nonnullis, qui theologiam systematicam seu dogmaticam meram philosophiam de rebus diuinis esse volunt. Quae si esset eius ratio, plane non viderem, quid ea ad nos pertineret. Induisset enim formam operis Origeniani περι αρχων, aut ad morem Scholasticorum rediisset, qui ex arbitrio, et secundum scholam, cui toti erant addicti, de rebus diuinis, non raro contra effata S. S. philosophabantur, et vt putabant, philosophari poterant. Satis autem constat, theologiam nostram dogmaticam ab hoc more Origeniano et Scholasticorum longe differre. Quae enim ab Origine vt praedicatio ecclesiastica praemittitur, et e scholasticis posthabetur, ea in nostris libris dogmaticis, omni qua fieri potest diligentia, explicatur et probatur. Continent ergo doctrinae christianae ipsius explicationem accuratiorem et vberiorem, quae ad nos pertinet. 29) Neque theologiam dogmaticam hanc ob causam a rebus nostris alienam esse censeo, quod, vt plerumque fit, doctrinae e litteris sacris haustae, placita humana in ecclesia recepta adduntur; ad controuersias olim et nunc agitatas respicitur; historia dogmatum adiicitur; libri symbolici consuluntur; formae loquendi philosophicae adhibentur; multaque, quae orbis litterarii formam et

---

29) Latices diuini, vt ait Baco, in cisternas recipiuntur, vnde per tubos complures ad vsum commode diduci possunt.

temporum conditionem spectant, recipiuntur, et quae sunt alia. Haec enim etsi nostram non conficiunt rem, tamen non sunt negligenda, et multo minus contemnenda. In eo nostro, vt opinor, consilio non satis respondet; quod primum in hoc potissimum versatur, vt res diuinas ad formam disciplinae in vnum colligat, easque ex more Veterum secundum regulas philosophicas in ordinem artificialem redigat; deinde, quod e consilio suo res historicas, quae ad doctrinam constituendam non pertinent, praetermittit; [30]) quod denique morem a CALIXTI inde temporibus receptum, quo theoretica theologia a practica siue morali separatur, in incrementum disciplinae seruat. Quae quidem omnia satis conueniunt cum scopo, quem theologia dogmatica theoretica seu systematica sibi habet propositum, sed nostrum non est, disciplinam theologiae longius prosequi; non ordinem artificialem et philosophicum, sed naturalem quaerimus; non dogmata modo, sed totius religionis reuelatae habitum cognoscere cupimus; non ad normam scholae res inter se distinguere, sed, vt sunt, accuratius inspicere volumus. Et quod hactenus de theologia theoretica diximus, id eadem fere ratione dicendum est de theologia morali. Alia vero nobis offertur theologia nostris in primis temporibus

---

30) Quod non eo sensu dixi, quo in libro HENCKENIANO: *Magazin für Religionsphilosophie* etc. Vol. I. P. III. p. 353. ss. ab auctore tractationis: *Etwas zur Kritik der bisherigen Dogmatik*, affirmatur, qui omnem historiam e theologia dogmatica proscribendam esse censet, et quemadmodum in philosophia KANTIANA non de vita et rebus gestis et aerumnis KANTII exponatur, ita et in religione christiana de vita et rebus gestis et morte Christi nihil dici debere putat: sed eo potius sensu, quo ab omnibus agnoscitur theologis, et huius disciplinae ratio postulat.

introducta, quae *popularis* siue *practica* appellari solet, quarum vtraque, etsi quadam ex parte adhuc diuersa, huc spectat, vt, forma scholae exuta, doctrinam religionis eo modo tractet, quo cuique Christi cultori erudito sit accommodata, et religionis doctori praecipue inseruiat, vt cum dogmata ipsa, quae ad populum pertinent, inde cognoscat, tum ex qua parte ad vitam sanctam alendam et ad animum tranquillandum faciant, intelligat. Et fateor, ex hac parte ad nostrum illa consilium propius accedit. Missa enim facit, quae theologum academicum conficiunt, et ea affert, quae praesertim doctori religionis populari curae cordique esse debent. Quod si vero eius formam, quam in libris, qui hoc titulo insigniuntur, habet, accuratius perpendimus, non ita comparata esse videtur, vt rebus nostris ex omni parte consulat. GRIESBACHIVS [31]) enim, qui omnium fere primus hanc viam ingressus est, disertis verbis affirmat, in hac disciplina consulto omnia praetermitti, quae non, nisi adiumentis ex eruditione theologica petitis, intelligi possint, eamque ob causam doctorem religionis in ea subsistere non posse, sed theologiam acroamaticam cum ea coniungere debere. In quo equidem Viro illi praeclaro prorsus adsentior, cum huius disciplinae scopus non ad accuratiorem religionis cognitionem, neque ad eam animi persuasionem spectet, quam nos in scholis academicis ita formati cupimus, et quae in muneribus gerendis cum vtilis tum necessaria est.

---

31) D. GRIESBACHS *Anleitung zum Studium der populären Dogmatik, besonders für künftige Religionslehrer. Zweyte Ausgabe, Jena* 1786. 8*vo. p.* 2. 4. repetit. 1789.

Et NIEMEYERVS bene theologiae suae populari et practicae [32]) epistolas religionis doctoribus scriptas adiecit, in quibus non solum res, ad theologiam popularem pertinentes, accuratius explicantur, sed animus ad subtiliorem religionis tractationem excitatur. [33]) Neque igitur ad hanc formam studia nostra theologiae priuata ita reuocari posse censeo, vt eam solam adhibeamus, etsi multa insunt, ad quae attendamus. Vna denique superest disciplina, quae *theologia biblica* appellatur, cuius nomen, fateor, nos fere talem sperare iubet rationem rerum diuinarum tractandarum, quae votis nostris ex omni parte respondeat. At vero non miror, quid sit, quod hic ipse titulus multos offenderit. Quis enim quaeso est theologus, qui theologiam suam non e scriptura sacra repetitam esse contendat? Ambigui quid igitur huic vocabulo inest, quod et ZACHARIAE, [34]) quem patrem huius theologiae recte dixeris, sensit, eamque ob causam statim ab initio praefationis se liberat suspicione, ac si hoc titulo vsus esset in contemtum cuiusdam theologiae alio modo tractatae, suamque mentem accuratius explicat; atque satis apparet, quid sibi sub hoc nomine, quo suam ab alia theologia distinguit, cogitauerit, et quam ob causam potissimum biblicam nominauerit. Neque mihi est animus, inquit, Systema quoddam componere; neque doctrinam e litteris sacris haustam vberius explicare; ne-

---

32) *NIEMEYERS Handbuch für Religionslehrer oder populäre und praktische Theologie, Halle* 1792.

33) cfr. liber supra laudatus.

34) *ZACHARIÄ biblische Theologie,* 5. *Theile, Göttingen,* 1791.

que quod in symbolis ecclesiae est constitutum, probare et defendere volo; sed doctrinam religionis e solis sacris litteris repeto, explico, et demonstro, vt quisque intelligat, quid ex hoc fonte deriuari possit, et ad hanc normam placita in theologiam recepta diiudicet, et, quod in introductione pag. CVI. disertis verbis addit, se non in diuinis modo decretis et consiliis, sed et in praeceptis et legibus explicandis versari atque partem theoreticam et practicam theologiae coniungere velle; quod ei est proprium, cum alii, vt AMMONIVS [35]) et STORRIVS, [36]) in libris eodem consilio et nomine scriptis aliter sentiant. Quae vero cum sit huius theologiae ratio, multis modis se nobis commendat. Relictis enim iis, quae modo ad disciplinam quandam theologicam spectant, cuius et

---

35) AMMONS *Entwurf einer reinen biblischen Theologie. Erlangen*, 1792. in cuius libri introductione pag. 6. theolog. bibl. sic definitur: *Sie ist eine genaue Kenntnifs der reinen Resultate derjenigen Schriftstellen, aus welchen Lehrsätze der geoffenbarten Religion geschöpft werden müssen.* Et deinde addit: *Sie erstreckt sich nur über den dogmatischen Theil des Alt. und N. Testaments. Der moralische, als der minder Angefochtne liegt aufser ihrem Gebiete.* Ex quo simul intelligitur, quo consilio hic vir celeb. theolog. bibl. scripserit, et in quem vsum.

36) D. STORRII doctrinae christianae pars theoretica e sacris litteris repetita. Stuttgardiae, cIoIoccLxxxxIII. 8vo. qui ad finem libri haec habet. „Arctis vinculis mutatio indolis animi et factorum in melius cum adeptione salutis copulata est. Qua autem ratione illius emendationis prosperi successus iuuentur, quaeue nominatim lege Christi praecepta contineantur, ad quorum normam indoles animi vitaeque ratio magis magisque componi debeant, de eo, vt de pluribus aliis capitibus, quae olim ad dogmaticae theologiae ambitum referri solebant, christianae doctrinae pars practica praecipit, quae ad nostrum hoc institutum non pertinet.“ Non excludit quidem partem moralem e theologia biblica, sed tamen separat.

nomen ei a nonnullis denegatur, ea modo tractat, quae ad religionis doctrinam in litteris sacris propositam pertinent; et viam nobis aperit, qua et ad vberiorem rerum diuinarum cognitionem, et ad certam de earum veritate persuasionem animi perueniamus. Accedit, quod ipsi illi Viri, qui theologiam talem exhibuerunt, eam in primis commendant futuris religionis doctoribus, quod innumeris probare possem testimoniis, si res hoc postularet, et tempus permitteret. E multis vnum modo afferam, quod instar omnium esse potest. „Christianae doctrinae capita, inquit Storrius in praefatione libro laudato praefixa, seorsim ab introducta consuetudine ecclesiastica tractare, ex vnisque sacris litteris haurire ad suam cuiusque persuasionem de veritate christiana firmandam, ad rerum ipsarum momenta aestimanda, ad argumentorum delectum et copiam adiuuandam, omninoque ad religionem christianam vel populariter tradendam vel ad tempus nostrum apte defendendam vehementer expedit. Quando enim arx protestantium et publicae doctrinae fundamentum est, vt nulla nisi litterarum sacrarum auctoritate ducamur, nemo coetus nostri doctor certam sequetur persuasionem in tenenda coetus sui doctrina; nemo eius capita primaria, quae in ipsis sacris litteris perspicue traduntur, a ceteris, quae post modum temporis causa accesserunt, nec promiscue omnibus tradenda vel etiam inculcanda sunt, accurate secernet; nemo doctrinam publicam contra aduersarios intelligenter defendet, praeter qui sacrae scripturae doctrinam ex ipso fonte imbibit.“ Vnum, quod ingenue fateor, me adhuc premit. Vt in omnibus, de quibus hactenus diximus disciplinis, ita et in hac, omnia modo referuntur ad doctrinam

quandam constituendam, examinandam, probandam, explicandam, quo fit, vt res historicae, et in facto positae, in quibus enarrandis tamen libri sacri vbique versantur, quae, totius reuelationis diuinae rationem et formam constituunt, quae si religionem nostram ita, vt est, cognoscere cupimus, praetermitti non possunt, quae denique et ad animum confirmandum, et ad religionem rite tradendam mentibusque humanis apte admouendam plurimum fere valent, etsi non negligantur, tamen vna tantum ex parte considerentur. Hanc potissimum ob causam vix ac ne vix quidem a me impetrare potui, vt ad talem *theologiam biblicam*, qualis vulgo esse solet, studia priuata conformanda esse dixerim. Quod si vero ab iis, de quibus hactenus dixi, disciplinis recedimus, nullius ne nomen quidem mihi succurrit, quam studiorum nostrorum formam aliqua modo ex parte habere dicam. Seruemus ergo *ακριβειαν*, quae in theologia dogmatica et theoretica et practica magnopere est probanda; seruemus theologiae popularis et practicae rationem, quae a speculationibus rerum diuinarum spinosis nos avocat, omnemque earum tractationem ad vsum vertit; seruemus denique morem theologiae biblicae, quae in omnibus placitis ad religionem pertinentibus, iam receptis aut adhuc recipiendis, scripturam sacram ante omnia consulit; et ita edocti et his adminiculis freti de studio theologiae priuato recte formando et nostris rebus accommodando agamus.

§. IX.

Tractata igitur prima suscepti operis parte, viaque nobis parata ad methodum, quam nostris rationibus consentaneam esse

censemus; nunc ad alteram progrediamur, quae in hac methodo ipsa paulo accuratius explicanda versabitur. Non parum autem animo commouemur, cum et copiam rerum, quae oculis nostris offertur et difficultates, quibus tota, quam ingredimur, via est circumsepta, perpendimus; cauendumque nobis esse videtur, ne quaestionibus, quouis fere gradu nobis oblatis, iusto diutius inhaereamus, nostrique libri limites excedamus. Praetermittamus ergo eas quaestiones, quae nostris temporibus a nonnullis secundum placita scholae cuiusdam philosophicae cum de reuelatione tum de libris sacris in medium proferri solent. Etenim si ex ipsa reuelationis natura et e principiis rationis demonstrari potest, nullam omnino reuelationem, qualemcunque tibi cogitaueris, unquam esse posse, id quod in tractatione infra notata affirmatur;[37]) aut si disciplina christiana nullis nititur libris sacris, e quibus tamquam ex fonte deriuetur, sed tota e praecepto morali menti humanae impresso pendet, in quo demonstrando versatur auctor anonymus libri, cuius titulum repetiimus;[38]) tum profecto de hac nostra methodo non amplius sermo esse potest. Quae vero cum non ita sint euicta, vt nonnullis videtur, de diuinae reuelationis natura, et librorum sacrorum vsu sic agamus, vt methodi

---

37) Reperitur haec tractatio in Repertorio Henkeniano, *Magazin für Religions-Philosophie, Exegese und Kirchengeschichte. I. Band. III. Stück*, sub titulo: *Über die Unmöglichkeit der Wunder sowohl in theoretischer als praktischer Hinsicht.*

38) Titulus huius libri est: *Neue Erklärung des höchst wichtigen Paulinischen Gegensatzes: Buchstabe und Geist, zur endlichen Entscheidung der Frage, worinnen besteht das Wesen des Christenthums. Jena 1799.*

nostrae ratio planius intelligatur. Iam cum omnis, vt supra vidimus, scopus in libris sacris legendis hic esse debeat, vt accuratam, certam, nostrisque vsibus accommodatam nobis paremus disciplinae christianae notitiam, id in primis est quaerendum, quid legamus? quanam ratione? quonam ordine? Quae quidem quaestiones, etsi non in singulis paginis ita, vt par est, tractari possunt, eas tamen attingamus, et quicquid de iis existimemus, aliorum subiiciamus iudicio. Primum iure de eo quaeritur, quid legamus: vtrum totam scripturam sacram, an libris V. Test. plane relictis, euangelistarum et apostolorum scripta? Ex vtraque parte omni fere aetate summi ac praeclarissimi Viri steterunt; nostris vero temporibus sententia posteriori loco nominata fere obtinuit. Ex quo enim V. T. libri tam infenso animo omnium ludibrio sunt expositi, multi, amicitia quasi cum Moyse rupta, hos libros vexatos plane reliquerunt, omnemque rem christianam solis N. T. angustiis inclusam voluerunt, neque, quod vix credibile est, desunt, qui in iudaica gente et omni eius causa vituperanda et contemnenda ipsos librorum sacrorum irrisores fere superent. Quae quidem cogitandi agendique ratio, an Christianos deceat? an nostris rebus consulat? ipsi videant. Verba Mori mihi in mentem veniunt: „Indignae sunt, inquit, Christianis voces, quae passim sparguntur, contemtrices librorum V. T." In iis pergamus, quae ad studia nostra pertinent. De eo dubitari non potest, N. T. libros primos disciplinae christianae esse fontes, quibus sublatis aut neglectis, nulla est res christiana, et si totam religionis reuelatae conditionem, qualis iam est, consideramus, his libris e manu positis reliqua scriptura sacra ambigua reperitur at-

que obscura; omnisque eius veritas et dignitas euanescit. Neque hoc incertum esse potest, frequentem, attentam, iterum iterumque repetitam scriptorum euangelistarum et apostolorum lectionem ministro ecclesiae maximam afferre vtilitatem, cum ad accuratiorem disciplinae christianae cognitionem consequendam, tum potissimum ad eius animum ita formandum, vt in dies ad hanc doctrinam salutarem aliis recte, prudenter, sobrie et efficaciter tradendam fiat aptior atque paratior. Tanta denique iis libris inest copia rerum notatu dignissimarum, vt tota vita, iis legendis consumta, vix ad minimam earum partem perscrutandam satis sit longa. Neque doctrina in his libris diuinis exposita; neque vita Christi ad imitandum commendata; neque apostolorum sentiendi et agendi modus in coetu christiano, qui et nobis est exemplum, ita iam sunt indagata, explicata, ad vsum translata, vt tamquam fontes exhausti relinqui possint. Quod quidem mihi optimus quisque concedet; quod et illa Reinhardi, Hessii, Noesselti, Doederleinii, Lessii, Niemeyeri, Keilii aliorumque scripta, qui vitam Christi et apostolorum variis modis illustrarunt, satis testantur. Itaque non est, quod rei omnibus notae diutius inhaereamus. Quamquam vero in nouo Testamento legendo et explicando plurima collocanda est opera: tamen nescio, an Veteris Testamenti libri vnquam negligi possint ac debeant; an iis neglectis doctor religionis eam, quam quaerimus, accuratam religionis scientiam certamque animi persuasionem et dexteritatem in rebus diuinis tradendis vllo modo assequi possit.[39] Non repetam loca scripturae sacrae, in qui-

39) De qua re graui legantur, quae habent S. V. Burscherus in

bus Christus et apostoli rem suam in libris prophetarum fundatam esse affirmant, e quibus saltem apparet, esse nexum quendam non negligendum inter V. et N. Test.; neque ad morem antiquioris ecclesiae prouocabo, in qua Apologetae non e Iudaeorum synagogis, sed e scholis Philosophorum egredientes, christianae religionis veritatem, non Iudaeis, sed gentilibus, testimoniis e V. et N. T. adlatis demonstrabant, atque defendebant; neque, quae nostrae professionis instauratores et alii theologi contendunt, afferam: in hoc vno potius acquiescam, quod ex ipsis et muneris nostri et conditionis nostrae rationibus repeti possit. Sumus interpretes N. T., ex quo omnia, quae docemus, quaeque praecipimus, haurienda, ad cuius normam eadem diiudicanda sunt, cuiusque lectionem aliis commendare atque leuare debemus. An vero vnquam hoc munere, vt fieri debet, fungemur, si V. T. libros non dicam contemnamus, aut negligamus, sed modo non manibus frequenter geramus? Nonne in his libris, in quorum explicatione versari debemus, quauis fere pagina ad V. T. respicitur, ita, vt ne nomen Christi quidem, nisi antiquioribus illis libris in auxilium vocatis, explicari possit? Nonne multis in locis omnis vera interpretatio in primis inde pendet, vt e mente illorum temporum cogitemus, populique Israelitici cogitandi, sentiendi, agendique modum, ad antiquiores libros formatum, ante oculos habeamus, eiusque originem et fontem inspiciamus?

---

prolusionibus duabus de Christo vindice auctoritatis Mosis et Pentateuchi, Lips. cIↃIↃCCLXVIII. et LXXIII. et S. V. KÜHNÖLIUS in dissertatione de amico V. et N. T. consensu ver. relig. grauissimo argumento, Lipsiae cIↃIↃCCLXXXV.

Non satis intelligo, fateor, quid sit, si nonnulli affirment, nouum testamentum ex se ipso intelligi, explicari, doctrinaeque christianae rationem et veritatem et diuinam originem ex vno illo sufficienter perspici posse. WIZENMANNVS, [40]) vt vnum exemplum afferam, huius rei periculum fecit, et magna cum laude rem difficillimam in se suscepit, eamque, ita, vt fieri potest, perfecit; sed prima iam pagina ex historia Israelitica quam plurima ipsi erant repetenda, vt modo intelligeretur, quid sibi genealogia primi capitis Matthaei velit, et quonam sensu Iesus appelletur Christus, atque multa, quae in hoc libro ad veritatem disciplinae christianae demonstrandam praeclare disputantur, vim omnem amitterent, nisi veteris testamenti historia oculis obuersaretur. Accedit, quod illi libri V. T. sunt in manibus eorum, quos edocemus, et ab illis leguntur, pro diuinis habentur, atque multa, quae religionem spectant, ex iis petuntur, et vix ex alio fonte peti possunt. [41]) Praeterea alia eademque grauissima horum librorum diligenter legendorum addenda videtur causa. Tam certum, quam quod certissimum est, neque illam irrisionem V. T. temerariam, neque abusum horum librorum, inter Christianos longe lateque propagatum, reique christianae multis ex partibus tam noxium, vnquam ita inualescere potuisse, [42]) si doctores religionis accuratam eorum explica-

40) In libro: *Die Geschichte Jesu nach dem Matthäus, als Selbstbeweis ihrer Zuverlässigkeit. Leipzig, 1789.*

41) Conferatur Iacobi liber: *Abhandlungen über wichtige Gegenstände der Religion, 3. Theil.*

42) Lectu dignissima sunt, quae S. V. WOLFIVS de vsu et abusu exemplorum biblicorum disputat, cum in dissertatione: De exemplis bi-

tionem adhibuissent; Denique si dicendum, quod res est, vel ipsi religionis doctores, neque in peruersam e V. T. argumentandi rationem, quae nonnunquam audiri solet, neque in lusus typicos olim vulgatos, neque in horum librorum contemtum, qui veritati religionis non parum affert detrimenti, incidissent, si rationem et scopum V. T. satis intellexissent. Caeterum toti loco hoc addam, quod MORVS recte monet. „Qui admittunt, inquit, Christi et Apostolorum auctoritatem, hi debent prophetarum libris fidem ad historiam, ad doctrinam et vaticinia concedere, iisque ad docendam, discendam exercendamque religionem vti 2. Tim. III, *15. 16.* Et praestant hunc vsum, si quis iis vti didicerit.“

§. X.

Iam cum ad eum peruenerimus locum, quo tota scriptura sacra cum veteris tum noui testamenti studiis nostris priuatis est proposita, operae pretium esse censeo, de argumento librorum sacrorum quaedam afferre, e quibus non solum intelligatur, quid sit legendum, sed quonam modo et ad quem finem legi debeat. Quod eo magis necessarium esse videtur, quo maiores ex neglecta argumenti cognitione accurata oriri solent difficultates. Quae enim vulgo de V. T. vsu hermeneutico dogmatico et morali dicuntur, tam incerta, ambigua et indefinita esse videntur, vt ex iis vix ac ne vix quidem neque horum librorum argumentum neque eorum recta tractatio intelligi queat. E mente DOEDERLEINII

---

blicis in Theologia morali caute adhibendis, Lips. cIↃIↃCCLXXXV. tum in programmate orationi aditiali praemisso, in quo hoc argumentum continuauit cIↃIↃCCLXXXVI.

omnis horum librorum vsus huc redit: vt iis in demonstratione veritatis religionis christianae aduersus Iudaeos vtamur, capita quaedam religionis ex his scriptis illustremus, cum vel vocum vel formularum, quibus apostoli vtuntur, significatio hauritur et demonstratur e veteri instrumento, qui est *vsus hermeneuticus*; vt porro semina nouae religionis ibi posita obseruemus, et dogmata quaedam, quae N. T. scriptores vt nota ex institutione patria repetunt, quaeque in illis libris antiquis vberius discussa leguntur, v. c. de attributis diuinis, creatione, et origine peccati inde hauriamus, qui est *vsus dogmaticus*; vt denique hymnis Davidis et sententiis Salomonis sensus pios excitemus et alamus, *qui est vsus moralis.* 43) Quae quidem omnia satis sunt vera, sed tota horum librorum ratio eorumque continuus et recte dispositus atque ad vnum finem relatus vsus inde non intelligitur; hic et illic modo in subsidium vocantur, rerumque ibi expositarum series et nexus atque concentus non cognoscitur. Talis autem eorum lectio, ex mea quidem sententia, quam plurimum confert ad accuratiorem disciplinae christianae cognitionem et certiorem de ea animi persuasionem. Paulo copiosius de hac re agamus. Deflectemus quidem non nihil a via, quam in methodo explicanda iam intrauimus, speramus autem, fore, vt hac quaestione accuratius pertractata, eo facilius ad reliquam nostrae dissertationis partem transire, eoque celerius causam nobis propositam absoluere possimus. Summa totius rei, de qua hoc loco nobis dicendum erit, spectat reuelationem diuinam, quam omnes ac singuli qui-

43) Döderlein instit. theol. christ. P. I. 145. ed. tert.

dem libris V. et N. Test. inesse affirmant, de cuius autem natura et indole vario modo disputatur. Praetermissis iis controversiis, quae ad nos non pertinent, ab eo incipiamus, de quo nostris temporibus indefesso ardore dimicari solet. Invaluit hic mos, a philosophis et theologis receptus, vt religio naturalis et reuelata non solum distinguantur, sed tamquam res plane diuersae considerentur, et haec ipsa distinctio, vti iam saepe est monitum, totam de vtraque quaestionem multis implicuit difficultatibus. 44) Ex hoc enim fonte illud, quod non sine animi dolore repeto, iam inueteratum et iterum iterumque renouatum certamen ortum duxit, quod ad hunc vsque diem inter eos mouetur, qui ex vna parte rationis iura, vt dicunt, et ex altera parte fidei sanctitatem tueri ac defendere conantur; in quo quidem certamine omnis fere honos atque victoria in eo ponitur, vt vnus alteri sua eripiat, eaque contemnat, et plane repudiet. Ex quo, quantum et religio naturalis et reuelata iam ceperit detrimenti, verbis exprimi nequit. Nam hac lite vinculum illud amicum, quod vtramque e consilio diuino consociare debet, est solutum; mentes humanae sunt exacerbatae et res ipsa nihil inde deportauit commodi. In eo vero potissimum peccatur, quod terminus ille technicus, quo religio in naturalem et reuelatam distinguitur, isque certo tantum consilio ad vtriusque naturam accuratius inspiciendam receptus, qualicunque huius rei tractationi immisceri solet, quo fit, vt sensim paulatimque a recta via aberretur, et multae maxima ex parte inutiles inde gignantur rixae. Itaque ab his litibus ante omnia

44) vid. Hess *vom Reiche Gottes*, in praefat.

animus est auocandus, si libros sacros legimus. Alia enim scripturae sacrae inest reuelationis notio, ad quam mentem componamus. Extant nimirum cum in V. tum in N. T. loca satis multa, in quibus de religione, quam nos in naturalem et reuelatam distinguere solemus, est sermo, e quibus modo Psalmum XIX, et ad Romanos I, v. 19. 20. et Actor. XVII, 22—31. afferam; sed in omnibus his locis, quod probe est notandum, Deus cum per naturam, tum per singularem quandam institutionem se reuelasse dicitur; vtraque reuelandi ratio amico vinculo inter se nexa esse traditur; neque anxie, quid cuique sit tribuendum aut denegandum, quaeritur. Vtraque vnius Dei est opus, vnius eius benignitatis donum, et ne quaestio quidem est, an altero beneficio oblato, prius reiiciendum, contemnendum atque pro nihilo habendum sit. Omnis, quae vtramque distinguit religionem, differentia, non tam in re ipsa, quae eiusdem fere est argumenti, neque in rationis vsu, quem vtraque admittit, quin etiam postulat, sed in modo potius est posita, quo animus ad diuinarum rerum cognitionem perueniat, vtrum nempe homo suo ipsius ingenio vsus maiestatem diuinam in rebus experientiae obuiis et in facto positis agnouerit, an monitu Dei et procuratione eius singulari ad notiones, imbecillitati humanae vix aut nullo modo assequendas, perductus fuerit. Quem vero modum varium, quo Deus generi humano sui cognitionem exhibuit, quo nomine ac titulo insignire atque distinguere velis, non multum quidem interest; sed tamen siue religionem naturalem et reuelatam, siue ordinariam et extraordinariam, siue mediatam et immediatam, siue vniuersalem et particularem eam appellaueris, quod-

vis verbum ex vna parte rei congruum, ex altera parte incommodum reperies. Res ipsa igitur est seruanda, et verba, sicut nummi, vbi valent, expenduntur. De reuelatione diuina autem, quae in libris sacris quaerenda est, et in his libris re vera reperitur, non ita statues, vt nil, nisi miranda, nullaque ratione humana inuenienda et cogitanda exspectes, sed et ad ea attendes, quae e rerum natura petuntur, et singulari quadam procuratione diuina oculis tuis offeruntur. Etenim haec quoque rerum cognitio beneficiis diuinis est adnumeranda, quibus Deus genus nostrum donauit. Quemadmodum enim secundum Psalmum XIX. coeli enarrant Dei gloriam, et eius opus annunciat aether; aut secundum effatum Apostoli Actor. XIV. et XVII. Deus se ab initio non intestatum reliquit, benefaciendo, de coelo pluuias frugiferaque dando tempora, ex vniusque sanguine procreando vniuersum genus hominum, vt mens humana eum creatorem omnium rerum et gubernatorem quaereret, contrectaret, atque inueniret; ita et hi libri sacri diuinae maiestatis documenta, per omnem rerum naturam exposita, oculis offerunt, eaque in memoriam reuocant, vt mens humana ad ea attendat, et per ea ad Dei cognitionem et huic consentaneam eius venerationem ducatur et excitetur. Quae cum ita sint, omnem hac ex parte inter naturalem et reuelatam, quam vocamus, religionem in eo positam esse diuersitatem censeo, quod hic monitu diuino ad eam peruenimus cognitionem, quae illic proprio studio erat quaerenda, atque vix inueniri poterat. Caeterum scopus in vtraque vnus idemque est. Omnia scilicet huc spectant, vt animus, contemplanda rerum natura oculis proposita, imbuatur religione, id est, eo

sensu pio, qui e cognitione summi numinis, omnium rerum creatoris et omnibus omnino rebus praecipue vero humanis prouidentis, ortum ducit. Idem porro ex parte hominis est huius cognitionis percipiendae et tractandae modus, qui in eo cernitur, vt mens ad res oblatas, et experientiae obuias cupide attendat, easque diligenter perpendat, nexumque, qui Deum inter et homines intercedit, agnoscat, et quae tandem credenda, quaeque agenda sint, intelligat, quod fit rationis ope et vsu, quae in rebus illis tractandis adhiberi debet, vtrauis via prima earum rerum cogitatio menti sit admota. Attamen recte eam, quae a monitu diuino incipit, religionis notitiam reuelatam dixeris, primum, quoniam illius origo re vera a Deo est repetenda; deinde, quoniam tum temporis saltem, quo homo de ea monebatur, nexus ille, qui res adspectabiles cum diuinis coniungit, nondum erat obseruatus atque cognitus, modo ne putes, omnem hanc notitiam, cuius tantum occasio est facta, ita esse reuelatam, vt rationi nullus detur locus, quod Moses Mendelides [45]) a Christianis affirmari putat, eosque ideo erroris accusat, quoniam Deus nunquam veritates aeternas et ratione humana iam percipiendas reuelauerit. Tota haec res potius sic se habet, vt b. Morvs eam explicat: [46]) „Deus non exspectauit, donec homines ad religionem cognoscendam contuendo et cogitando mundo peruenirent, sed vt ab aliquibus maturius disceretur, curauit, quod ita fecit, vt aliis atque

45) Moses Mendelssohn in libro *Jerusalem, oder über religiöse Macht und Judenthum.*

46) Mori epitome p. 4.

aliis temporibus quosdam singulari procuratione moneret, se esse auctorem omnium, se summum esse, sic ab hominibus esse agendum." Vberiorem autem huius rei explicationem, neque tempus, neque locus patitur. Legenda sunt, quae MORVS de hac re disputat in dissertationibus de religionis notitia cum rebus experientiae obuiis et in facto positis copulata, [47]) in quibus multis modis et exemplis ostendit, in quo haec res potissimum sit posita, quoque modo subtiliter ac sobrie de ea iudicari possit atque debeat. Adeundae porro sunt commentationes EKARDI in scripturam sacram eiusque historiam scriptae,[48]) qui Vir egregius, multis non satis notus, praecipue rationis vsum in his rebus explicat. Denique HESSIVS [49]) conferri meretur, in ea potissimum tractatione, quam de naturali Dei cognitione sacris litteris inserta scripsit, in qua illius nexus cum reliquis rebus ibi reuelatis exponitur. Quantum vero beneficium haec ab ipso Deo generi humano ita procurata sit religio, res ipsa docet. Hoc enim modo est factum, vt tum, cum omnes fere populi nullam Dei veri haberent cognitionem, populus Israeliticus inter omnes emineret ea, quam, iu-

---

47) MORI dissertatt. V. II. ab initio.

48) EKARDVS in libro *über die Bibel und deren Geschichte*, *Lübeck* 1785. et seqq. 8vo. praecipue *I. Stück*, *Von der Offenbahrung und deren Geschichte. II. Stück*, *Von dem Gegenstande und den Absichten göttlicher Offenbahrungen. IV. Stück*, *Über den Ursprung und Wachsthum unsrer Religionskenntnisse. X. Stück*, *Ob das Christenthum ächte Vernunftreligion sey.*

49) HESS in libro *Bibliothek der heiligen Geschichte*, *II. Theil: S.* 111. *Die Abhandlung: Naturlehre der heiligen Schrift von Gott nach ihrem Verhältnisse zu der Offenbahrungslehre.*

vante Deo acceperat, notitia religionis naturalis, atque haec ipsa veri Dei cognitio per hunc populum variis modis ad alias transferretur nationes, huiusque saltem semina longe lateque spargerentur, cuius rei non obscura extant testimonia, et ex summa antiquitate et ex temporibus populi Israelitici seruata. Quod quidem beneficium diuinum eo maioris est momenti, quo luculentius ex omni vetustatis historia patet, quam ardua, quamque multis difficultatibus et erroribus verae Dei cognitionis via tum temporis fuerit circumsepta, ita vt dubitari possit, an genus humanum, hoc auxilio diuino destitutum, vnquam sibi ipsi relictum ad hanc cognitionem peruenturum fuisset. Etsi enim Ill. MEINERS, peritissimus huius rei arbiter, Graecos natura duce ad hoc summum philosophiae fastigium tandem adscendisse affirmat; hoc tamen sero et post longos summorum ingeniorum errores factum esse ipse concedit, 50) atque inter omnes constat, quantopere vel nostrae aetatis philosophi, quibus, vt cum LESSINGIO loquar, summa computationis est proposita, in computandi ratione haereant. Accedit, quod, vti MEINERS loco laudato bene monet, idque ex historia exemplo Israelitarum et Christianorum illustrat, huius scientiae retinendae non minor, quam inueniendae est difficultas. Alia tacebo, haec autem attigi, ne quis leuis aut nullius fere momenti esse censeat, cum Deum

---

50) MEINERS historia doctrinae de vero Deo P. I. Lemgouiae cIↃIↃCCLXXX. 8vo. p. 15. „Graecia, inquit, omnis humanitatis mater omniumque litterarum inuentrix non nisi sero, postquamsapientissimae leges inuentae, ceteraeque vero artes ad summam prope perfectionem perductae, omniaque subtilissimarum argutiarum genera fere exhausta essent, vnum tantum mundi huius genitorem ac moderatorem cognouit."

homines, in naturali, quae dicitur, sui cognitione singulari modo adiuuisse, audit. Quo tantum in genus humanum beneficium diuinum collatum esse arbitror, vt, si tristissimam illius aetatis faciem quoad religionem intueor, atque Moysis et Dauidis hymnos in laudem vnius Dei creatoris et gubernatoris mundi, omnemque huius populi caeteroquin inculti religionis verae et virtutis ex ea repetitae cognitionem, perpendo, sapientiam diuinam satis mirari non possim. 51)

§. XI.

Quamquam vero haec, de qua hactenus diximus, non minima sit reuelationis diuinae pars, neque vllo modo negligenda; tamen ad aliam eamque multo grauiorem progrediamur. De cuius ratione priusquam loquar, hoc vnum e lectore cordatiori quaeram: An solem et lunam, coelum et terram, et quae sunt alia, sola adspectabilibus illis annumeranda esse putamus operibus diuinis, e quibus inadspecta diuini numinis maiestas cognosci, animusque ad sensum pium formari possit? an, vt hoc addam, Gubernatoris

---

51) Iuuat hic adscribere, quae Hessius in loco supra laudato addit: „*Es ist sonderbar, daſs die, so um der vielen in der Bibel erzählten Wunder willen die Nation sowohl, als das Buch verachten, nicht wenigstens so viel Billigkeit haben, es eben dieser Nation zum Verdienst anzurechnen, daſs sie schon in den ältesten Zeiten Lehrer gehabt, die ihr von Gottes Gröſse in der Natur die würdigsten Begriffe in Hymnen und Liedern beygebracht haben. Gerade als wenn das nur in keine Betrachtung käme. Wider alle Geschichte macht man die altisraelitische Nation zur dümmsten, die jemahls auf Erden wohnte, und spricht ihr oft gerade das ab, wodurch sie ihrem bessern Theile nach (einen schlechten trift man bey jedem Volke an,) sich weit umher ausgezeichnet hat.*“ *p.* 115.

summi regimen ex hoc modo intelligitur, quod de coelo nobis pluuias dat et tempora frugifera, atque ex vnius sanguine vniuersum genus humanum procreari iussit, idque in omni terrae solo habitare voluit, praefinitis statis temporibus, et inhabitandi terminis? Egregia quidem haec sunt maiestatis diuinae, imperiique diuini documenta; nonne vero alia iisque forsitan adhuc maiora extant, quae humana imbecillitas, illis vix recte obseruatis, multo difficilius assequi possit, quaeque quamplurimum ad pium animi sensum excitandum formandumque valeant? Quod ita esse posse, nullus intelligens et modestus huius generis rerum arbiter inficiabitur. Ecce vero scriptura sacra nobis proponit historiam quandam rerum gestarum inde a primordiis coeptam, per omnes aetatum vicissitudines continuatam, et, si ei credimus, supra huius mundi terminos protensam, affirmatque in hac historia esse diuinum quid, has res gestas e consilio diuino eoque sapientissimo et benigissimo ita esse ordinatas, sub iis latere, iisque re vera inesse, quae et ad Deum recte cognoscendum, et vitam sancte instituendam, ad animum tranquillandum, ad felicitatem assequendam quam plurimum conferant. Narratur enim non solum primaeuos homines ab initio fortunatissimam egisse vitam eamque fortunam non multo post esse amissam; posteros eorum de die in diem in peius degenerasse, eosque maxima ex parte diluuio interiisse; Abrahamum e reliqua gente ortum, patria relicta in regione Canaanitica habitasse, atque eius progeniem, multis aerumnis in Aegypto vexatam, in regionem Canaaniticam a Mose reductam, ibique mox secundam mox aduersam fortunam expertam esse; denique Iesum esse natum, sancte vixisse, cruci esse

affixum, qui redux in vitam creditus nouae, quae vocatur Christiana, disciplinae ortum dederit, gentem vero Iudaicam praerogatiuis suis esse priuatam et quae sunt alia. Haec ita facta et gesta esse scriptura sacra non solum enarrat, vt annalium scriptores solent, neque tantum ad morem Polybii, Humii aliorumque historicorum caussas, cur sic et non aliter haec euenerint, curiose inuestigat, sed eadem simul docet, haec omnia facta esse e singulari consilio diuino: primaeuos homines, auctore Deo eoque volente, et iis prouidente fortunatam egisse vitam; miseriam illam, non casu fortuito, sed culpa contractam, et a Deo eos corrigente immissam esse; inundationem illam perniciosam generi humano in peius degeneranti diuinitus accidisse; Abrahamum iussu Dei patriam reliquisse; Mosen sub auctoritate diuina, Deoque iuuante populum suum e seruitute aegyptiaca liberatum in terram promissam transduxisse; omnemque fortunam secundam et aduersam huic populo vel obsequioso vel contumaci aduersus Deum, ex eius consilio euenisse; — Iesum, in oppido Davidis natum, non merum fuisse hominem, sed illum a Deo populo suo promissum Dominum et seruatorem; vitamque eius sanctam et diuino more in terris peractam generi humano esse salutiferam; et ab eius morte cruenta in nos summa redundare beneficia diuina; eum re vera a Deo e mortuis in vitam esse reuocatum; coetum Christianum ipsius vi diuina esse collectum, et ad hunc diem vsque seruatum, populum iudaicum Deo iubente fato tristi succumbere et quae sunt alia. Ecce aliam reuelationis diuinae partem, historiam nempe, quae continet gesta Dei, regnum quoddam diuinum, in quo omnia Deo sciente, eoque aut

iubente, aut permittente, item gubernante et dirigente, rebusque humanis prouidente, et e consilio suo ad finem propositum perducente fiunt et geruntur, atque his rebus gestis et in facto positis, omnis doctrina, quam nos strictiori sensu reuelatam appellamus, est superstructa, ex iis repetita, et cum iis arctissimo nexu copulata. Itaque et in huius ciuitatis diuinae natura ac indole indaganda, priuatum, cui nos accingimus, theologiae studium praecipue versari debet. Differt haec pars reuelationis diuinae ab ea, de qua supra sumus locuti. Continet enim singulare quoddam consilium diuinum, secundum quod homines ratione ac libertate praediti, ea, quae ipsorum naturae et conditioni conuenit, ratione, ad felicitatem ab initio iis destinatam, suaque culpa deperditam reducuntur, erudiuntur, atque educantur. Neque tamen, quod simul notandum esse censeo, haec reuelationis pars ab illa priori ita differt, vt vna ab altera prorsus separari possit ac debeat. Haec enim ciuitas diuina non extra rerum naturam est constituta, sed intra eius fines collocata, quacum multis modis cohaeret. Quo fit, vt regnum gratiae a regno naturae, quod dici solet, mente ac cogitatione quidem distingui, sed re ipsa non separari possit. Erramus, si alium Deum omnium rerum creatorem, totiusque generis humani gubernatorem nobis fingimus, alium populi israelitici olim e ceteris nationibus segregati, et alium Christianorum Deum esse putamus. De quo errore euitando non solum populus Israeliticus per prophetas et libros sacros, a creationis narratione incipientes, et ante omnia per Sabbathum, in honorem creatoris institutum, est monitus, sed ei et Christus et Apostoli non vno loco occurrunt, v. c. Matth. VI, 24. sqq. et

Actor. XVII, 22. sqq. Atque hoc probe notandum esse censeo, cum hic nexus, rite obseruatus, non parum conferat, cum ad religionem naturalem et reuelatam recte definiendam, tum ad regnum Christi accurate explanandum.

§. XII.

Satis, vt opinor, pro instituto nostro de reuelationis natura ac ambitu diximus. Supersunt quidem multa, quae cum ad reuelationis indolem explicandam, tum ad librorum sacrorum rationem definiendam afferri possint, haec vero inter legendum obseruanda esse videntur. Summa eorum, quae ex obseruationibus iam adlatis colligi possint, huc fere redit: Primum illa, quae sacris libris inest reuelatio, non huius est generis, vt meram doctrinam religionis nudis verbis expressam comprehendat, sed ea, quae proponuntur, cum rebus in facto positis arcte sunt coniuncta, iisque superstructa et ex iis repetita. Deinde haec diuinitus reuelata religio non vni tantum aetati ita est alligata, vt neque a praecedenti aetate pendeat, neque cum insequentibus seculis cohaereat, sed totum hoc consilium Dei, quod eius benignitas inde ab initio ad genus humanum erudiendum, idque per religionem ad pristinam felicitatem reducendum iniit, atque per omnes aetates peregit, oculis proponitur, modusque explicatur, quo Deus est vsus, vt imbecillitati humanae subueniret, veram sui cognitionem iuuaret, eamque de aetate in aetatem augeret et amplificaret, mentique humanae ea suppeditaret, quibus acquiescere, ac credendo, agendo et sperando veram virtutem, et summam denique felicitatem assequi possit. Non ignoro quidem,

multos nostris in primis temporibus esse, qui de hac re aliter statuant, qui, omnibus rebus gestis et in facto positis posthabitis, totam religionem reuelatam ad principia quaedam vniuersa reuocent. Sed, vt ingenue fatear, malim ego libros sacros prorsus relinquere, quam talem eorum interpretationem amplecti, quae tam incerta et dubia est, cumque toto horum librorum habitu, omni fere pagina, pugnat, et fabulis potius, quam rebus historicis, accommodata esse videtur: multoque minus me iis adiungere possum, qui res historicas allegorico modo tractant, in mythologicis quidem rebus laudando, hic autem nequaquam admittendo. Vereor enim, ne doctor religionis hoc interpretandi genere vtens, et hunc in modum de rebus diuinis pro concione philosophans, veritatibus diuinitus traditis eam vim et efficaciam detrahat, quam experientia teste potissimum e rebus in facto positis habet, neque adeo populum, qui hanc sublimiorem sapientiam non capit, eo deducat, vt in magistri verba, vix ac ne vix quidem intellecta, iuret, sibique religionem, a rebus circa se positis et a rerum natura vitaque quotidiana plane alienam, fingat, et aridis argutisque acquiescat formulis. Recordemur prudentissimi illius consilii a Moro accepti. Caueamus, inquit, ne doctrinam de religione meram faciamus θεωρίαν factis seiunctis, quibus annexa est, ne homines vbiuis velimus a principiis, quae dicuntur, et primis notionibus ad concludendum deducere, sed doceamus e factis eruere, per facta discere, ne historiam parui faciamus, cui alligata fuit haec constitutio, quae sine historia ne capi quidem diiudicarique potest. Itaque hanc vt nobis paremus scientiam, legamus libros sacros, eosque ita lega-

mus, vt ad res in facto positas, siue e rerum natura et e generis humani historia repetitas, siue, singulari interuentu diuino mirabili modo effectas, attendamus, et adiectam eorum explicationem diuinam notemus; vt consilium illud diuinum, quod peragitur, intelligamus atque nexum, quo et res inter se et cum doctrina et praeceptis inde deductis cohaerent, obseruemus; vt denique vim, quam haec omnia ad animum formandum et tranquillandum habent, sentiamus, atque hunc sensum aliis ingerere discamus. Hunc vero, quem iam notauimus, fructum tum potissimum e tali librorum sacrorum lectione capiemus, si summa cum attentione opus illud diuinum consideraverimus, quod per Iesum Christum ad nostram salutem peragitur, cui peragendo omnia inde ab antiquissimis temporibus adaptantur, ad quod omnia referuntur, in quo nostra et virtutis et spei praesidia sunt posita, quodque in altioribus regionibus nondum cognitis ad finem perducetur. Quodsi hoc nobis contigerit, vt huius regni Dei et coelorum, quod a Christo constitutum est et ab eo gubernatur, naturam et indolem, origines et formam, vicissitudines et facta, institutiones et leges, in dies magis perspiciamus et intelligamus, tum ad eum tandem perueniemus locum, quo in iis, quae credimus et quaerimus, amamus et speramus, non in re imaginaria quadam, sed in re vere in factis posita, versemur, et nunquam nobis deerunt, quae aliis tradamus et proponamus cum ad religionis et virtutis sensus excitandos, tum ad animum tranquillandum, laetissimasque spes alendas.

§. XIII.

Rebus igitur, in quibus tractandis versari debeamus, ita expositis, ad ordinem, qui in libris sacris legendis sit adhibendus, progrediamur. Saepenumero haec in medium prolata est quaestio, vtrum scriptura sacra eo, quo hi libri scripti sunt, ordine sit legenda, an ordo ita sit inuertendus, vt a N. T. incipiamus, eoque diligentius tractato ad Vetus regrediamur. Vtraque methodus habet non nihil commendationis et recentiori aetate illa a TELLERO, 52) et haec a TOELLNERO, 53) Viris ingenio pariter ac doctrina praeclaris, est commendata. Etsi vero iis non adsentior, qui N. Test. in lectione V. Test. obliuioni quasi dandum esse affirmant, tamen ipsa nostrae religionis reuelatae indoles et librorum sacrorum ratio ordinem naturalem nobis suadet. Nam multum proderit, totam quasi percurrere viam, quam sapientia diuina inde ab initio per omnes aetates in genere humano erudiendo incesserit, saepeque a viris rerum theologicarum scientia claris est monitum, tum demum accuratam expectari posse christianae disciplinae notitiam, cum eius et origines et progressus, inde a primis incunabulis per omnes aetates diligentius, quam hactenus est factum, fuerint obseruati. In hoc, vt S. V. KEILIVS in dissertatione supra laudata dicit de historica librorum sacrorum interpretatione eiusque necessitate, vera theologiae biblicae posita est notio, atque eius rationem ex instituto exposuit S. V. GABLE-

52) vid. *D. W. A. TELLERS Lehrbuch des christl. Glaubens, Helmstädt* 1764. in praefatione.

53) *TOELLNERS vermischte Aufsätze, I. Band. V. Aufsatz.*

RVS in oratione de iusto discrimine theologiae biblicae et dogmaticae. [54]) Neque defuerunt alii cum pristinae tum recentioris aetatis viri, qui hanc viam magnopere commendarent. Non solum enim iam CHEMNITIVS [55]) in locis theologicis ordinem chronologicum in doctrina et explicanda et probanda vtilem et iucundum esse censet; sed DÖDERLEINIVS [56]) eum inter ea, quae adhuc desiderentur, ponit. Quantopere vero haec librorum sacrorum lectio domesticis in primis conueniat studiis, MELANCHTHON praecipue suo nos docuit exemplo. Vir ille egregius duplicem, si non verbis, tamen re ipsa commendat methodum, cuius vna in discenda Theologia, altera in continuando eius studio adhiberi possit. Illam priorem exponit paucis pagellis de ratione discendae theologiae conscriptis in Opp. Tom. II. p. 35. Viteb. cIↃIↃLXII. edit., in quibus ordinem inuersum praefert, vt doctrina christiana de peccato et lege, de fide et euangelio ante omnia recte intelligatur. De altera vero in locc. theoll., quos ad vsus domesticos composuerat, haec statim ab initio habet: „De ordine aliquid praefandum est. Ipsi libri prophetici et apostolici optimo ordine

54) habita Altorfii 1787.

55) CHEMNITIVS in locc. theoll. inter alia haec habet p. 18. Saepe, inquit, etiam illa obseruatio est vtilis et iucunda, quod testimonia inde vsque ab initio ecclesiae petuntur, etiamsi saepe videantur obscura, deinde illis obscurioribus subiunguntur, quae magis sunt perspicua, et in illa serie testimoniorum veniendum tandem est ad ea, quae clarissima sunt et labefactari nullo modo possunt.

56) Vid. DÖDERLEINS *theologische Bibliothek*, 3. *Band*, 10. *Stück*, in recensione Enchiridii theologiae biblicae ab HVFNAGELIO editi.

scripti sunt, et articulos fidei aptissimo ordine tradunt. Est enim historica series in libris propheticis et apostolicis, ordiuntur a prima rerum creatione et conditione ecclesiae, et deinceps omnium temporum series a conditione rerum vsque ad Cyri monarchiam continetur in libris proheticis. In hac serie multae narrantur instaurationes ecclesiae: et insperguntur narrationibus doctrina legis, et promissio euangelica. Deinde apostoli sunt testes de Christo exhibito, nato, crucifixo, resuscitato. Haec sunt historica, et in concionibus Christi continentur articuli fidei et explicatio legis et euangelii. Accedunt et Pauli disputationes. Hunc ordinem animaduertenti non multum opus est commentariis aut nostris libellis aut similibus; tamen quoniam non omnes statim vident hunc ordinem rerum, commonefaciendi sunt voce interpretum.“ Ex quo intelligitur, quid ille Vir de methodo, cum in theologia discenda tum vlterius pertractanda, adhibenda iudicaverit, quanam ratione ab vna ad alteram procedendum, et in qua acquiescendum esse censuerit. Atque haec, de qua hactenus locuti sumus, methodus est ea, quam BACO, acutissimus in his fere rebus philosophus, vt supra diximus, in omnibus disciplinis magnopere commendat, quam a magistrali distinguit et initiatiuam appellat, vocabulo a sacris ad hanc rem translato. Magistralem quidem discentium, hanc vero filiorum scientiam esse affirmat, qua non discuntur, quae a magistris dicuntur, sed dicta examini subiiciuntur; qua scientiarum mysteria recluduntur et denudantur; quaeque disciplinae iam acceptae continuationem et vlteriorem progressum pro fine habet, et non tam truncum, vt pro ingenii vbertate sibi fingit,

pulchrum quidem, sed iam elaboratum, quam totam potius arborem cum radicibus in animum ita transplantat, vt creuit. 57) Haec est illa methodus, qua, vt GARVIVS, 58) philosophus BACONI adiungendus, monet, summa eaque absolutissima, quae sperari potest, rerum cognitio paratur. Hanc igitur viam, scriptura sacra duce, prout fieri potest, sequamur, et multos, vt opinor, inde capiemus fructus, tum ex accuratiori rerum diuinarum cognitione, tum ex iis, quae certiorem animi persuasionem spectant. Quodsi enim mirabilem illum orbem et consensum V. et N. Testamenti diligenter obseruamus, non solum accuratius intelligemus, quae legimus, sed certiori cum animo omnia legemus, et recte ERASMVS: 59) „Reperies, inquit, fortassis in Platonis aut Socratis libris, quae non abhorreant a decretis Christi, reperies in vita Socratis, quae vtcunque cum Christi vita consentiant, at circulum hunc et omnium rerum inter se congruentium harmoniam in solo Christo reperies, qui quidem orbis a prophetis exorsus per apostolorum martyrumque vitam in sese coit." Quibus bene obseruatis non magnopere perturbabimur, si inscitia aut leuitas humana de singulis rebus et scripturae sacrae locis dubitationes moueat, easque tamquam antea inauditas nobis offerat; atque dici vix potest, quantum commodi intelligens et cordatus religionis doctor inde ad munus gerendum capere possit. Tota via oculis offertur, quam non solum Deus in

---

57) BACO de VERVLAMIO de augmentis scientiarum, lib. VI. c. II.

58) *GARVENS Versuche über verschiedene Gegenstände aus der Moral, der Litteratur etc. 2. Theil. p. 353. Breslau 1796.*

59) ERASMVS in rat. ver. Theol. p. 73.

humano genere ad religionem efformando, sed quam et gens nostra in Deo cognoscendo et colendo inierit; quonam in loco prima et religionis et virtutis semina fuerint posita; quanam cura adhibita creuerint; quid eorum incrementum accelerauerit et retardauerit; quid religionis et virtutis naturae ipsi inhaereat et externae vtriusque formae sit dandum; quam varias et pietas et impietas hominum induerit formas; quibusnam modis fides fuerit instaurata, superstitioque depressa; ad quaenam deuia mens humana hac vel illa aetate fuerit procliuior, quantaque tandem indulgentia Deus inscitiae tempora praetermiserit, opportunoque tempore auxilium tulerit, et id genus alia. Quae quidem omnia oculis proposita multisque exemplis demonstrata, vtrum in muneribus nostris gerendis parui an magni sint ponderis, optimus quisque diiudicet.

§. XIV.

Quodsi vero hac ratione et hoc consilio, quo diximus, libros sacros eo, quo scripti sunt, ordine legere constituimus, facile intelligitur, nos eum non sequi posse ordinem, quo et V. et N. T. libri in bibliis vulgo exhiberi solent. Neminem enim, cui vel minima huius rei est notitia, fugit, quam varia et arbitraria reperiatur haec librorum sacrorum dispositio, cui fortuitus magis casus, quam certum et cogitatum consilium, videtur ortum dedisse. Nam libro primo et vltimo codicis nostri suo loco forsitan collocato, de pluribus multa disputari possunt, et constat inter omnes, quam multi viri in rebus versati exercitatique nostra praesertim aetate de hoc ordine restituendo cogitauerint. Quantum

Eichhornio, Niemeyero et aliis debemus, e quibus prae ceteris Hessivm nominare iuuat, qui, vt cuique sacri codicis libro suum daret locum, omni diligentia curauit. In Prophetis et Psalmis, qui, vt res ipsa docet, subsequente tempore in eam, quam iam habent formam, sunt redacti, id egit, vt singulas eorum partes historiis, quibus inseruiunt, aut quae iis occasionem dedisse videntur, adiungeret, et in nouo testamento eadem ratione seruata, non solum epistolis apostolorum multum lucis affudit, sed etiam, vario euangelistarum consilio in rebus Christi describendis accuratius explicato, huius historiae memoratu dignissimae intelligentiam et vsum magnopere leuauit; quod, qui eius commentarios in libros sacros legerit, vel me non monente, facile reperiet. De vna vero quaestione, quae in libris sacris legendis non parui momenti esse videtur, paulo copiosius dicamus. Quum me ad hoc, quod hactenus explicaui, codicis sacri studium conferrem, saepe sum miratus de eo, quod libris illis historicis, qui maximam scripturae sacrae conficiunt partem, variis temporibus adiectos reperiebam libros, qui, aut omni forma historica exuta, religionis et morum doctrinam in se continent, aut, etsi historici sint argumenti, tamen seriem reliquorum librorum quodam modo interrumpunt, quod animaduertitur in Psalmis, Salomonis scriptis, et propheticis libris, in Iobo, et historia Ruthae et Estherae. Neque de hac re tantopere essem miratus, si in his libris doctrinam religionis et morum vniuersam explicatam reperissem: tum enim cogitassem, prouidentiam diuinam hac ratione cuique aetati suam doctrinae formam exhibuisse. At vero non est ea horum librorum ratio. Quamquam

enim Psalmi in V. T. et epistolae apostolorum in N. T. quandam talis rei speciem prae se ferunt; tamen historia Ruthae et Estherae nihil habet, quod huc referri possit. Relinquitur ergo haec quaestio, cur hi libri codici sacro sint inserti atque his vel illis temporibus potissimum adiecti? cur iis, prae aliis libris tum scriptis, hoc pretium sit statutum, vt pro diuinis haberentur. Cuius quidem quaestionis difficillimae disceptationem mihi non sumam, sed tamen afferam, quid mihi de hac re videatur, vt aliorum iudicium audiam. De plurimis huius generis libris constat, quo tempore sint scripti, et quamquam non formam religionis et morum illius aetatis, cui traduntur, ita exhibent, vt vel omnem eius ambitum complectantur, vel qualis tum temporis fuerit, declarent; tamen quodam modo ad religionem et mores spectant, atque eo consilio scripti ac traditi esse videntur, vt erroribus aut vitiis iam propagatis, aut facile propagandis caueretur, et sensus pii iis temporibus accommodati mentibus imprimerentur, omniaque ad formam quandam aetati conuenientem componerentur. Quod in apostolorum epistolis luce clarius apparet. Negotium Christi in terris quidem erat peractum, eiusque regnum constitutum, coetusque christianus multis iam locis collectus; at vero quantum ad ecclesiam ita formandam adhuc deerat, vt certa quadam vteretur disciplina, qua veluti vinculo quodam Iudaeis et Paganis communi in vnam societatem coiret? Historia Christi, etsi omnium Christianorum erat symbolum, quot et quam variis modis poterat explicari et intelligi, quantumque intererat, vt e consilio diuino ad animum tranquillandum et vitae sanctitatem alendam, amoremque fraternum

excitandum vbiuis recte adhiberetur! In eo omne positum erat momentum, vt nouus ille populus, disciplinae Christi addictus, in terris collocatus rebusque mundanis circumdatus, multisque modis iis innexus, et suae religionis conditioni et conditioni rerum externarum satis se aptaret, quod non facillimi fuisse negotii, ipsa primitiuae ecclesiae ratio et historia docet. Hoc igitur non solum epistolis apostolorum originem dedit, sed in eo etiam earum scopus et vsus est quaerendus. Eadem ratio valet quoque de libris propheticis, populo israelitico ad eundem fere vsum suo tempore traditis, quibus monitus excitatusque ad sensum illum pium duceretur, quem aetatis conditio requireret. Dauidem vero qui instauratorem cultus diuini vere israelitici fuisse nouerit, is non mirabitur, quid sit, quod eius potissimum tempore, Psalmorum collectio saltem fuerit inchoata, quae ad illum cultum, et seruandum, et posteris tradendum, esset fere necessaria. De Salomonis libris multa essent dicenda, si locus pateretur. Magnum enim diuinae sapientiae documentum, vt opinor, in eo est, quod libri huiusmodi argumenti et formae non dicam populo traderentur, sed inter Israelitas extarent. Distant non nihil a sensu illo israelitico, quo Dauides imbuerat mentes, liberalior quaedam iis inest cogitandi et sentiendi ratio, quam quae apud populum ad legem Mosaicam formatum expectari posse videatur, neque ego vnquam de Cantici Canticorum sensu certi quid ausim statuere. Quodsi vero illius aetatis conditionem considero, mutatamque totius regni formam; si tempora, quae instabant, perpendo, quibus huic populo cum maximis et cultissimis huius aetatis nationibus futura erat res; tum profecto non haesito, quid

hi libri sibi velint. Honos populi Israelitici, et religionis verae dignitas, aliarumque nationum commodum ab eo pendebat, vt Salomonea, quam quisque admiraretur, sapientia extaret. Progredior ad libros Ruthae et Estherae, quos non minus suae aetati satis conuenire censeo. Etenim efferatis illis Iudicum temporibus, quibus bella et ciuilia et externa haud interrupta, et vaga viuendi ratio omnem fere domesticae vitae ac religionis, virtutisque amorem exstirpauerant, historia Ruthae imaginem cogitandi, sentiendi et viuendi rationis oculis proponebat, quae vt amoenissima ita et vtilissima erat, quaeque prae caeteris sensum religionis et virtutis, domesticaeque vitae amorem fere amissum in mentem reuocare poterat. Neque est, quod multa de libro Estherae dicam, qui, vt res ipsa docet, in ea incidit tempora, quibus quam maxima populi israelitici pars inter gentes exteras dispersa vitam degebat, cui hoc ipso libro exemplum et prouidentiae diuinae, quae vbiuis populi sui res curat, et constantiae israeliticae, quae moribus ethnicis non indulget, oculis proponebatur. Vnus liber Iobi restat, cuius aetatem definire non audeo. Qui vero liber etiamsi Mosis tempora attingat, eo forsitan consilio est seruatus, vt eo iis caueretur erroribus, in quos populus israeliticus, in singularem quandam curam et institutionem diuinam susceptus, tantisque promissionibus terrenae felicitatis ornatus, facile incidere poterat. Etenim peregrinus quidam vir religiosus ac pius, ad disciplinam vero mosaicam non formatus, in medio sistitur, isque Deo valde probatus, et peculiarem eius prouidentiam expertus, qui multis malis afflictus in pietate perseuerat, et iis patienter toleratis, eo carior Deo euadit. Quae quidem attigi, vt saltem

intelligatur, ordinem quendam in his libris quaeri, eosque inter se iungi posse; vtrum vero id, quod equidem ex meo iudicio iudicauerim, vinculum sit genuinum et verum nec ne, viris me doctioribus relinquo. Caeterum conferantur, quae KOEPPENIVS[60]) et LÜDERWALDVS[61]) atque HVFNAGELIVS[62]) habent.

§. XV.

Ad aliam progrediamur quaestionem, quam in hac methodo studiorum explicanda non praetermittendam esse censeo. In tanta nimirum rerum copia, quae oculis offertur, congruum vtique esse videtur, vt de stationibus quibusdam cogitemus, ad quas cursus dirigatur, in quibus subsistamus, resque nobis iam oblatas colligamus, atque ad viam longius prosequendam nos paremus. Neque tales periodi et stationes desunt. Ad vnum omnes fere, qui hanc ingressi sunt viam, disciplinam patriarchalem, et mosaicam, christianam denique distinxerunt, et negari nequit, has periodos, etsi cum annorum serie, tum rerum multitudine satis sint diuersae, tamen ita esse constitutas, vt, cur ab iis discedamus, non videam. Vnum, quod in hoc more consueto quodam modo immutari posse putauerim, est hoc, vt Dauidis tempora

60) KÖPPENII liber: *die Bibel ein Werk der göttlichen Weisheit*, 2. *Theile*, *Rostock und Leipzig*, 1787. 2. *Theil*. *p*. 105.

61) LÜDERWALDVS in libro: *Untersuchung der Gründe, warum Gott der heil. Schrift mehr eine erzählende als lehrende Einrichtung gegeben hat*, *Helmstädt* 1781.

62) *Die Schriften des alten Testaments nach ihrem Inhalt und Zweck bearbeitet etc. von* HVFNAGEL. *Erlangen*, 1784.

paulo diligentius a reliquis distinguantur. Ipsa enim res docet, eius aetate non solum externum cultum religiosum, sed et ipsum religionis israeliticae habitum multis in rebus esse mutatum, quae quidem mutatio non solum haec ipsa tempora spectat, sed et ad aetatis insequentis historiam recte intelligendam, et ad nouum testamentum accurate interpretandum pertinet. Huic vero iam recepto rerum ordini, et aliam earum dispositionem adiicere iuvat, quae non solum breuiores definiat stationes, sed rem ipsam simul ex alia parte spectandam oculis proponat. Repetitur autem haec ex ordine illo diuino, qui per totam reuelationis historiam in genere humano erudiendo et formando obseruatus esse videtur, cuius ratio in eo est posita, vt quauis aetate incidant tempora, quibus vis ac maiestas diuina multis documentis mirandis, quae a consueta rerum natura ac indole recedunt, se exserat, animusque viuido eius repleatur sensu. Quibus quidem temporibus ab aliis hunc in modum distinctis, hoc in primis agitur, vt noua consilia diuina, antea hominibus ignota, reuelentur, aut iam quidem exposita, sed neglecta, in memoriam reuocentur, mentique altius imprimantur, atque animus ad altiorem Dei cognitionem, aut viuidiorem constantioremque pietatis sensum euehatur. Quo autem facto, res ad consuetum ordinem redeunt, manus diuina quasi retrahitur, homo sibi ipsi magis relictus leuiori, id est, non tam mirando modo adiuuatur et ducitur. In quo, vt opinor, insigne est sapientiae diuinae documentum, atque vera imago patris, liberos suos prudenter educantis, conspicitur. Hunc diuinum morem iam in iis, quae supra de libris historicis et dogmaticis dixi, conspicuum esse censeo, eumque per totam scripturam sacram ita seruatum esse

video; vt etiam ex hac parte periodi satis definitae ac notatu dignissimae constitui possint, quas paucis modo verbis notare iuuat. In primordiis rerum hominem manu quasi diuina in domicilium, paterno modo paratum, introductum esse, ipsa historia testatur, atque omnia, quae narrantur, Deum praesentem annunciant, quod vero, si historiam sequimur, non ita deprehenditur apud eius posteros, vbi singula tantum nec admodum illustria praesentis Dei commemorantur documenta vsque ad diluuium. Hac autem periodo homo, a recta via prorsus deflecteris, Deum non solum totius rerum naturae dominum, sed generis quoque humani iudicem experitur, novaque familiae Noachicae datur disciplina eius rationibus accommodata, quo facto, res vsque ad Abrahami tempora a consueta via non multum recedunt. Abrahamum denuo eximiis reuelationis diuinae documentis distinctum videmus, quae autem in filio et nepote multo sunt rariora, et apud eius posteros in Aegypto plane euanescunt, vsque ad tempora Moysis. In eius aetatem incidit illa notatu digna periodus, qua Deus cum populo illo e gentibus terrae sibi electo ita agit, vt non solum eius maiestas multis et mirandis factis spectanda oculis offeratur, sed omnis etiam religio aliam induat formam. Haec insignia numinis diuini documenta vsque ad introitum in terram promissam continuantur. Quibus temporibus praeterlapsis, Iudicum historia multa quidem mirabiliter gesta exhibet, pauca vero, quae religioni iam institutae noui quid addant. Ad Samuelis et Dauidis historiam res decurrit, quae Deum ad populum suum quasi redeuntem annunciat. Multa, quae et cognitionem et cultum Dei spectant, instituuntur, et in melius mutantur. Tum

vero Prophetarum audiuntur voces, qui vsque ad exilium constitutam formam seruant, explicant, populum monent, reprehendunt, excitant atque futuris euentibus praeparant. Singulari modo hic populus tandem Deum et in minis et in promissionibus explendis veracem experitur, et neminem fugit, quam alte huius et exilii et reditus in patriam memoria veri Dei cultum mentibus huius ipsius impresserit, quamque aliam inde ab eo tempore haec natio induerit formam, sed ne prohetae quidem publica auctoritate constituti hanc excipiunt aetatem. Appropinquant tandem tempora, de quibus omnes locuti erant prophetae, in quibus omnem habebant spem ac salutem repositam, atque coelum et terra, vt apostolus dicit, mouentur ad diuinam maiestatem adspectabili modo declarandam, ad religionem et pietatem mentibus humanis imprimendam, ad praesidia tranquillandi animi stabilienda, omneque genus humanum in vnam quasi familiam colligendum. Cuius quidem benigni diuini consilii satis multa tum erant documenta, singulari prouidentia atque vi prorsus diuina huius regni coelorum ponebantur fundamenta, ecclesia Christi condebatur, non persuasoriis sapientiae humanae verbis, sed vt Paulus inquit, luculenta sapientiae et potentiae diuinae demonstratione. Ex illo vero tempore omnia leni gradu procedunt, imago diuini consilii in ecclesia Christi vsque ad hunc diem seruata, oculis obuersatur, libri sacri eius indolem et finem explicant, et nostrum est, vt diiudicemus, quid de re, cui tot ac tanta numinis diuini vestigia sint impressa, sentire possimus ac debeamus. Ad hunc ordinem, quem breuiter adumbraui, attendamus quaeso, et multum proderit non solum ad stationes certas definiendas, sed ad reuelationis

diuinae rationem et indolem accuratius inspiciendam, atque ad res, quae nobis proponuntur, accurate coniungendas et in vnum colligendas.

§. XVI.

Constitueram ab initio iis, quae hactenus de studiis nostris disponendis proposui, iam ea adiicere, quae ad ipsam librorum sacrorum lectionem pertineant. In qua quidem parte hoc agendum erat, vt primum de lectione libr. sacr. cursoria et stataria; deinde de eorum interpretatione historica et dogmatica dicerem; denique modum explicarem, quo, quae sparsim leguntur et obseruantur, in ordinem, non artificialem sed naturalem redigi, atque ita inter se iungi et in vnum colligi possent, vt totius ratio ac indoles inde cognosceretur. Cum vero neque temporis angustiae, neque huius libelli limites vberiorem nostri argumenti permittant tractationem, hoc vnum agamus, vt lectori libros saltem nonnullos in memoriam reuocemus, e quibus, quae desunt, repeti possint. Primo loco nominandus esse videtur vir e superiori saeculo, qui totam, quam in mente habemus, methodum ita delineavit, vt eius ratio facile cognoscatur. LIBERIVS DE SANCTO AMORE 63) nimirum, sub quo ficto nomine alii CLAVDIVM PAIONIVM, alii IOANNEM CLERICVM, alii denique PHILIPPVM a LIMBORCH latere putant, in epistolis theologicis, earumque quidem septima, quae inscribitur de institutionis theologicae ordine et methodo, σκιαγραφιαν quandam systematis theologici historici et biblici exhibuit, ita quidem comparatam, vt ordinem

63) LIBERII DE SANCTO AMORE epistolae theologicae, Irenopoli, typis philalethanis cIↄIↄCLXXIX.

fere scripturae sacrae sequatur. Incipit a creatione huius vniuersi et per praecipua historiae sacrae spatia decurrendo, in gestis Christi ac apostolorum subsistit, totamque institutionem in duas partes distribuit, quarum prima statum ecclesiae V. T. et secunda N. T. disciplinam continet, et in vtraque res historicae cum doctrina nectuntur. Ex vna vero parte nostris rationibus non est accommodata. Cum enim auctor de systemate nouo artificiali conficiendo cogitet, quo theologiam sui temporis loco suo demouere cupit, de rebus theologicis subtiliter disputat, quae scholae erant relinquendae. Nihilominus tamen imago quaedam huius, quam quaerimus, methodi oculis proponitur, qua inspecta eo facilius diiudicari possit, quid euitari debeat, quidque seruari queat. Sed plura de hoc libello lectu digno extant apud BVDDEVM, 64) WALCHIVM, 65) atque STAEVDLINVM. 66) Neque defuerunt, qui hac, quam LIBERIVS DE SANCTO AMORE commendat, methodo theologiam tractarent, quod iam ante a SIMONE EPISCOPIO factum esse constat, in cuius opp. post eius mortem editis, talis institutio theologica extat. Hic enim vir quatuor libris totam theologiam pertractare constituerat, quorum primus agit de theologia et religione in vniuersum, secundus de reuelatione Abrahamo facta, tertius de reuelatione per Moysen promulgata, quartum vero, in quo reuelationem per Dominum nostrum Iesum Christum factam explicare volebat, ad finem non

64) BVDDEI isagoge in vniu. theolog. Lib. II. C. 1. §. 17.
65) WALCHII Miscell. sacr. L. III. Exerc. VI. §. V.
66) *STÄVDLIN Ideen zur Kritik des Systems der christl. Religion*, §. 158. *Göttingen*, 1791.

perduxit. Multa egregia huic operi insunt, etsi nonnullis locis, v. c. disciplinae iudaicae iusto diutius inhaeret. De eius consilio in hoc libro componendo nihil dicam; praelusit illi methodo, quam GAERDENVS post eum comparatiuam appellauit, eamque ad lites de rebus theologicis componendas adhibuit; videatur de hoc libro PHILIPPVS A LIMBORCH in historia vitae Simonis Episcopii. Huic viro adiungam IOANNEM TAYLOREM, qui idiomate anglico scripsit theologiam e scriptura sacra repetitam, quam I. I. HESSIVS in vernaculam linguam transtulit sub titulo infra notato,[67] in quo quidem libro hic Vir, et doctrina et pietate optimo cuique commendatus, eandem historicam ingreditur viam, totamque institutionem in XLIII. sectiones distribuens, doctrinam religionis et morum disciplinam cum rebus historicis nectit, sed totus fere versatur in V. T. explicatione, atque doctrinam christianam vix attingit. In his libris saltem exemplum talis theologiae, secundum ordinem temporum tractatae, conspicitur, de quo lectori iudicium relinquimus. E recentioribus supra iam laudaui IERVSALEMIVM et HESSIVM,[68] quorum hic historicam librorum sacrorum partem illustrat, ille doctrinam rebus historicis adiungit.

---

67) sub titulo: *TAYLORS Entwurf der Schrifttheologie samt einer Pastoral-Vorlesung über die Schrifttheologie v. J. HESS. Zürich*, 1787. quae quidem praelectio HESSII lectu dignissima est.

68) *HESSIVS* in libro: *Vom Reiche Gottes*; eiusdem *Geschichte der Israeliten*, 12. *Bände. Zürich*, 1776—88.

Lebensgeschichte Jesu, sechste verbesserte Auflage, 2. *Bände, Zürich*, 1781. *Ueber die Lehren und Thaten und Schicksale unsers Herrn*, 1782. *Apostelgeschichte, zweyte verbesserte Auflage*, 2. *Bände*, 1778.

Vterque igitur est consulendus. Dolendum vero est, IERVSALEMIVM prius, quam opus tanta cum eruditione inchoatum perfecisset, nobis morte esse ereptum, eumque disciplinae christianae delineationem tantum in opp. posthumis reliquisse. Cum porro in hac methodo studii theologici hoc in primis nobis sit agendum, vt dogmatum religionis formam, cuique aetati propriam, eorumque ad clariorem lucem decursum et progressum recte obseruemus, quod maximum et difficillimum est negotium, duo imitatione digna huius rei exempla addam, quorum primum extat in ZIEGLERI tractationibus theologicis, 69) in quibus dogma de scriptura sacra eo ipso ordine tractatur historico, qui vt supra vidimus, a CHEMNITIO commendatur, et a DÖDERLEINIO desideratur; alterum inest in Repertorio HENKENIANO, 70) vbi auctor anonymus dogma de persona et munere Iesu ita explicat, vt quae in V. T. de legato illo diuino et in N. T. de Christo dicuntur, de vna eademque persona dicta esse demonstret, et quid quaeuis aetas de hoc rerum humanarum gubernatore ac moderatore diuino habeat, secundum ordinem historicum obseruet atque exponat. Quibus duobus exemplis multo plura addi possunt, quae passim occurrunt, v. c. in HVFNAGELII Enchiridio theologiae biblicae, in quo dogma de Dei natura incorporea et de eius iustitia,

---

69) sub titulo: *ZIEGLERS theologische Abhandlungen. Göttingen,* 1791.

70) In libro: *Magazin für Religionsphilosophie, Exegese und Kirchengeschichte von D. Hencke. III. B. X. Abhandlung.*

item in EICHHORNII Bibliotheca,[71]) vbi locus de apparitionibus diuinis hunc in modum tractatur. Quae quidem exempla, etsi de rebus tractatis aliter sentiamus, tamen methodum historicam oculis proponunt. Denique, ne quis censeat, hanc studiorum Theologiae rationem, quam commendauimus, nimis seiunctam esse a negotiis ministro ecclesiae traditis, in primis ab orationibus pro concione habendis, et ab institutione rudiorum in elementis religionis, adiiciamus huius quoque vsus nonnulla exempla. Extant non solum EWALDI[72]) sermones pro concione habiti, et ad hanc methodum formati,[73]) sed in eiusdem auctoris libro infra laudato multis in locis ostenditur, quam commoda haec methodus sit ad populum docendum et ad rudiores christianos erudiendos. Fuerunt etiam, qui hanc viam in iuuentute instituenda magna cum laude inirent. Non repetam exempla antiquiora, in quibus prae caeteris eminet CLAVDII FLEVRII Catechismus historicus, in compendio complectens historiam sacram et doctrinam christianam, qui a Romanensibus non solum, sed et a viris praeclaris nostrae ecclesiae magnopere laudari solet, de quo BVDDEVS fatetur, vix quemquam, huius libri auctore rectius de concinnando catechismo sensisse videri. „Simplex enim, sic pergit ille Vir,

71) *Oriental. Bibliothek, VI. B. 6. Stück.*

72) *EWALDS Predigten über die Erziehung des Menschengeschlechts nach der Bibel. Lemgo*, 1783.

73) *Über Predigerbeschäftigung und Predigerbetragen*, 1. *Heft*, et aliis locis.

factorum enarratio, cui deinceps doctrina superstruatur, ad captum rudiorum valde est accommodata." [74]) Enimuero et nostris temporibus multi de tali methodo rudioribus instituendis adhibenda, cogitauerunt, atque prae caeteris legenda est illa delineatio talis institutionis, a DREVESIO, Conrectore scholae Detmoldinae, in programmate scholastico proposita, EWALDI libro supra laudato inserta, [75]) porro epistola HERDERI Diaconi, super hoc argumento ad HESSIVM scripta, et vna cum eius epistola responsoria in huius Viri Bibliotheca sacrae historiae edita. [76]) Periculum huius methodi etiam in adultioribus fecit Anonymus, in Veteri Testamento saltem ita tractando. [77]) Magnopere ex mea quidem sententia est optandum, vt ea, quae BVDDEVS in recensione Catechismi FLEVRII egregie monuit, in dies magis perpendantur. „Historiam, inquit, omnes libenter audiunt, et facile percipiunt; cum dogmata contra abstracte proposita a paucissimis intelligantur. Quae est ratio, quod pauci ex plebeiis summam doctrinae christianae teneant, aut si teneant verba solum, quorum sensum nesciunt, recitare queant." vid. loc. cit.

---

74) BVDD. Isag. L. II. C. 1. §. 12.

75) *Desselben Buchs VIII. Heft.*

76) In libro: *Bibliothek der heiligen Geschichte. Zürich*, 1791. 2. *Th.* in parte II. ad finem.

77) *Biblische Religionsgeschichte der vier ersten Jahrtausende für junge Freunde und Freundinnen Gottes. Magdeburg*, 1778.

Caeterum, ne pluribus lectori molesti simus, vnicuique, qui siue hac methodo, de qua locuti sumus, siuē alia, suis rationibus magis accommodata, in libris sacris legendis versari velit, hunc a Deo opt. max. fructum sincera mente precamur, quem ERNESTIVS, LESSIVS, REINHARDVS aliique Viri et doctrina et pietate praeclari ex librorum sacrorum lectione se percepisse cum laetitia sunt professi.